BSB Bayerische StaatsBibliothek

Münchener DigitalisierungsZentrum
Digitale Bibliothek

Tractatus aliquot chymici singulares summum Philosophiae arcanum continentes

Geismaria 1647

Alch. 286
urn:nbn:de:bvb:12-bsb10253079-8

Copyright

Das Copyright für alle Webdokumente, insbesondere für Bilder, liegt bei der Bayerischen Staatsbibliothek. Eine Folgeverwertung von Webdokumenten ist nur mit Zustimmung der Bayerischen Staatsbibliothek bzw. des Autors möglich. Externe Links auf die Angebote sind ausdrücklich erwünscht. Eine unautorisierte Übernahme ganzer Seiten oder ganzer Beiträge oder Beitragsteile ist dagegen nicht zulässig. Für nicht-kommerzielle Ausbildungszwecke können einzelne Materialien kopiert werden, solange eindeutig die Urheberschaft der Autoren bzw. der Bayerischen Staatsbibliothek kenntlich gemacht wird.

Eine Verwertung von urheberrechtlich geschützten Beiträgen und Abbildungen der auf den Servern der Bayerischen Staatsbibliothek befindlichen Daten, insbesondere durch Vervielfältigung oder Verbreitung, ist ohne vorherige schriftliche Zustimmung der Bayerischen Staatsbibliothek unzulässig und strafbar, soweit sich aus dem Urheberrechtsgesetz nichts anderes ergibt. Insbesondere ist eine Einspeicherung oder Verarbeitung in Datensystemen ohne Zustimmung der Bayerischen Staatsbibliothek unzulässig.

The Bayerische Staatsbibliothek (BSB) owns the copyright for all web documents, in particular for all images. Any further use of the web documents is subject to the approval of the Bayerische Staatsbibliothek and/or the author. External links to the offer of the BSB are expressly welcome. However, it is illegal to copy whole pages or complete articles or parts of articles without prior authorisation. Some individual materials may be copied for non-commercial educational purposes, provided that the authorship of the author(s) or of the Bayerische Staatsbibliothek is indicated unambiguously.

Unless provided otherwise by the copyright law, it is illegal and may be prosecuted as a punishable offence to use copyrighted articles and representations of the data stored on the servers of the Bayerische Staatsbibliothek, in particular by copying or disseminating them, without the prior written approval of the Bayerische Staatsbibliothek. It is in particular illegal to store or process any data in data systems without the approval of the Bayerische Staatsbibliothek.

R

M° 4672.

Alch. 286.

Alchem.

R

Tractatus.

TRACTATUS
aliquot

CHEMICI
SINGVLARES

Summum philosophorum arcanum
continentes:

1. Liber de principiis naturæ, & artis Chemicæ, incerti authoris.
2. Johannis Belye Anglitractatulus novus,

& alius

BERNHARDI COMITIS TREVIrensis, ex Gallico versus.

Cum fragmentis EDUARDI KELLÆI, H. Aquilæ Thuringi, & Joh. Isaaci Hollandi.

3. Fratris Ferrarii tractatus integer, hactenus ferè suppressus, & in principio & fine plus quàm dimidia parte mutilatus.
4. Johannis Dausteniii Anglı Rosarium.

Opuscula partim nondum in lucem producta, partim à mendis, lacunis & corruptione vindicata, & integritati restituta.

GEISMARIÆ,
Typis SALOMONIS Schadewitz/
Sumptibus SEBALDI Köhlers/

M. DC. XLVII.

CHEMICI

SINGULARES

Bayerische
Staatsbibliothek
München

Doctrina, industria & longa ex-
perientia celeberrimo viro,

DOMINO

CHRISTOPHORO REIN-
HARDO, Illustrissimorum Has-

siæ principum Chirurgo fidelissimo, practico felicissimo, Domino & amico colendo.

INter multiplices philosophiæ naturalis partes non minimum olim locũ habuit Chemia, & ista etiam quæ de metallorum transmutationibus agit, naturæ sanè æmulatrix solertissima, & humanis usibus admodum proficua. De illius veritate plerique hactenus dubitavere, adducti, ut reor, frequentissimis hominum pessimorum fraudibus & impostoris, quibus solenne est per orbem discurrere, mysteria jactare, aliena marsupia emungere atque ex raptu vivere donec ad scalas, gemonias ipsi rapiantur, & pœnas ferant suo labore dignas. Verùm de his disputent

tentii, quibus perſpicacius datum eſt ingenium,

A recto ut poſſint meliùs diſtinguere curvum.

Cæterùm cum ſæpiùs efflagitari viderem, ut libelli, quos meis impenſis nunc publico, in uſum philochemicorum emendati, integri & à corruptionibus vacui in lucem prodirent, eamque provinciam mihi demandandam recepiſſem, liberum etiam mihi eſſet, virum aliquem ſeligere, cui dedicare illos licerет, tu prima fronte mihi occurriſti, vir ornatiſſimè, quem hoc munuſculo donare poſſem, utpote hominem in myſteriis Chemicis & Medico-Chirurgicis egregiè verſatum & longa experientia probatiſſimum. Accipe igitur illos eo animo quo dantur, & ſi quid aliud in tuum commodum ex penu meo proficiſci poterit, ſecurè & alacriter expecta, tanquam à

Tui dignitatis ſtudioſiſſimo

SEBALDO KÖNLERO
bibliopola.

Præfatio ad benevolum Lectorem.

LAboranti mihi pro ratione professionis meæ in ægrorum curationibus, sæpiùs accidit, amice Lector, ut cum nobilissimã Dei creaturam tantis dolorũ angustiis subiectã, & diuturnis morborum lãcinationibus ferè oppressam viderem, ex animo condolurim, & non sine suspiriis acerbam sanè humanæ sortis vicem considerarverim. Obversabatur animo ægritudinum & mortis ipsius genuina causa peccatum, & non primorum parentum solùm in nos derivatum, sed vel maximè actuale illud inter posteros eorum & in humano consortio singulis momentis

nimis quàm frequens & conſpicuum, eaq; de cauſa Deum ſeverũ ſcelerum vindicem iuſtiſſimè in vindictam quaſi trahi animadvertebam. Occurrebat ex altera parte bonitas Domini & infinita miſericordia, peccatorem pœnitentem, ſordibus ſuis inhærentem, non deſerens, ſed Medicinam animæ & corporis larga manu diſtribuens, & è pulvere miſeriarum hominem benignè erigens.

Inter huiusmodi ſpeculationes obſervavi multoties vulgaria illa medicamenta ex Græcorum & Arabum placitis ad nos devoluta nõ ſemper votis reſpondere, & vix in leviuſculis morborum cauſis averruncandis ſufficere; Ingrato inſuper ſapore ægrotantium palatum

tum ita lædere, ut ferè nunquam sine horrore excipiantur: cœpi igitur cogitare, an non in generis humani emolumẽtum altius aliquod à divina bonitate creatum sit remedium, cuius beneficio pertinaces illi & profundiùs radicati affectus, incurabiles vulgò dicti, eliminari, & Medicorum ista opprobria legitimè tolli possint; præsertim cũ intelligerem, viguisse prioribus & nostris quoque seculis viros philosophos, qui Naturæ lumine ducti, aut divinis radiis illustrati, superiorum & inferiorum creaturarũ virtutes profundiùs cõsiderarint, earum intimas vires, impuritatibus altissimè immersas, dexterrimè eruerint, & gravissimorũ morborum sentinam feliciter exterminarint.

narint. Constitui igitur mecum omnes, quos nanciſci poſſem, huius diuinæ medicinæ ſcriptores excutere, eorum abſtruſiſſimas ſentẽtias enucleare, & ſi quid eſſet proficuũ aut notatu dignum, in uſum meũ ſeligere, quod equidem feciſſe nec adhuc dum pœnitet.

Accidit interea, ut dum in hiſcè lectionibus ſedulò verſarer, in Alchymiæ quoque illius decantatiſſimæ, quæ de metallorum transmutationibus agit, authores quaſi ἀφορμὰς inciderim, & eorum fundamento æquâ rationis ſtateriâ mihi ponderanda deſumpſerim. Quamvis autem intentio aut animus nunquam mihi fuerit, ut experiri aliquid in hoc ſtudio, & ſumptus facere forſan inutiles, voluerim,

pla-

placuit tamen istud philosophiæ genus, eiusq; scientia liberali ingenio non usq; adeò indigna visa est, præsertim cum rerum naturas, & mineralium præcipuè, profundissimè rimetur, atq; altissima totius universi secreta quasi propria sibi habeat. Verunt amen illud, ut verum fatear, bilem sæpiusculè mihi movit, quòd præter cõsuetam horum authorum obscuritatem rarissima exemplaria reperiantur integra & à depravatione libera, ut sensus genuinus non nisi maxima cum difficultate erui possit. Fecit hoc procul dubio contemptus nobilissimæ disciplinæ, quæ fidem apud paucissimos invenit hactenus, unde codices describendi indoctis librariis traditi, corruptionem potiùs ob

termi-

terminorum ignorantiam, quàm emẽdationem aut explanationem incurrerunt.

Eandem fortunam experti sunt tractatus Chemici, quos nunc usibus tuis communico, benigne lector, optimi procul dubio, & nullis tropicis aut ænigmaticis locutionibus admodum intricati, sed ita à transcriptoribus corrupti, ut lectu & intellectu nimis quàm difficiles hucusq; fuerint. Et prior quidem, qui est de principiis naturæ & artis, in Syntagmate harmoniæ Chymico-philosophicæ Johannis Rhenani nitidissimè editus ex duplici manuscripto exemplari nunc correctus est, uno Latino ex bibliotheca Dn. Jacobi Mosani Angli Doctoris Medici,

alte-

altero verò Germanico Dn. Erasmi Kupfermanni Abbatis quondam in Herren-Breitungen, translatitio, ut puto, sed nullis mendis aut lacunis hiulco.

Insequentes tractatus parvuli Johannis Belye Angli, & Bernhardi Comitis Trevirensis (ita enim legendum reor, tum ex inscriptione mei ms. tùm etiam quòdo-nnes alii huius authoris Gallicè scripti vel impressi libri titulum præferant du Conte de Treves) cũ fragmẽtis Kellæi, H. Aquilæ, Joh. Isaaci Hollandi, ut & Tractatus fratris Ferrarii, ex codice ms. Domini Nicolai Maij, Augustiss. quondam Imperatoris Rudolfi II. &c. Consiliarij, excerpti sunt. Fuit autẽ Ferrarius (insignis planè au-

nè author & fortè nunquam satis laudatus) aliquoties Basileæ & nuper Argentorati in Theatro Chymico sub corrupto Efferarij Monachi nomine publicatus, sed in principio & fine plus quàm dimidia parte mutilatus; ut corpus aliquod sine capite & pedibus, & tamen adhuc morbosum repræsentarit, ita fœdè truncus ille discerptus fuit.

Rosarium Johannis Dausenij tomo 3. Theatri Chymici extat quidem, sed sine veri authoris nomine, insuper & mendis lacunisq; refertissimum, ut dignis videretur liber, qui emaculatus in lucem prodiret, cum multa habeat alibi fortè non facilè obvia. Hoc exemplar etiam ex Dn. Jacobi Mosani ms. li-

bro

bro describẽdum curavi, cum Argentinensi diligenter contuli, & legitimæ lectioni, ut spero, restituí.

Erat insuper in manibus opusculũ Dn. Henrici Khunrath Lipsensis, Lux lucẽs in tenebris, Germanicè scriptum, isagogicum planè & tyronibus procul dubio utilissimum, quod dignum iudicabã ut primum locum inter hosce tractatulos occuparet, eaq; de causa in Latinam ïinguam transfundere volebam, quò philochemici haberent quasi Mercurium aliquem in bivio, legitimã viam monstrantem, sed nescio quo casu exciderit libellus ille, ut hisce nundinis publicari non potuerit.

Cæterùm hac forma adornavi præsens opusculum, ut, si ita placuerit,

cuerit, præfigere illi possis. Novum lumen Chymicum cum tractatu de sulphure, & Aurelio Augurello nuper Genevæ apud Dn. Johannem de Tournes elegantissimis typis impressum, atque ita manuale aliquod habeas theorica-practicũ in deambulationibus pro lubitu circumferendum aut alioquin levi manu versatile, fidum tamẽ & pro cognitione abstrusissimarum rerum forsan sufficiens, præsertim si in repetitione lectionis quam vigesimam, aut trigesimam etiam, difficultas huius artis posçit, diligens fueris. Quanquam neminî author esse velim, ut quod faciunt idiotæ, illotis manibus operationẽ huius nobilissimæ scientiæ temerè aggrediatur, cum salebrosa admo-

dum

dũ & ſpinis infinitis obſita ſit via, quæ ad ſublimem arcis philoſophicæ verticem tendit, qua de re videatur Theobaldus ab Hoghelande in libro de Alchymiæ difficultatibus. Vale lector, & his ſuaviter fruere.

Tuus totus

L. C.

Cum omnium philoſophorum

antiquorum & modernorum libri ſint commentarii quidam in Tabulam Smaragdinam Hermetis Trismegiſti, volui eam frontiſpicio horum libellorum imponere, ut lectori præoculis ſemper obverſetur, quotiescunque explicatam ab authoribus hinc inde viderit.

VErum ſine mendacio, certum & veriſſimum; Quod eſt ſuperius, eſt ſicut id quod eſt inferius, & quod eſt inferius eſt ſicut id

id quod est superius, ad perpetranda miracula rei unius. Et sicut omnes res fuerunt ab uno meditatione unius, sic omnes res natæ fuerunt ab hac unare adaptatione. Pater eius est Sol, mater ejus Luna: portavit illud ventus in ventre suo; nutrix ejus terra est; pater omnis telesmi totius mundi est hic. Vis ejus integra est, si versa fuerit in terram. Separabis terram ab igne, subtile à spisso, suaviter, magno cum ingenio. Ascendit à terra in cœlum, iterumq; descendit in terram, & recipit vim superiorum & inferiorum. Sic habebis gloriam totius mundi, ideò fugiet à te omnis obscuritas. Hic est totius fortitudinis fortitudo fortis, quia vincet omnem rem subtilem omnemq; solidam penetrabit. Sic mundus creatus est: hinc erunt adaptationes mirabiles, quarum modus est hic. Itaq; vocatus sum Hermes Trismegistus, habens tres partes philosophiæ totius mundi. Completum est quod dixi de operatione Solis.

(o)

LIBER

LIBER
De
PRINCIPIIS
naturæ & artis Che-
micæ incerto Authore.

Geiſmariæ, Typis SALOMONIS Schadewitz/
Sumptibus SEBALDI Köhlers.

M. DC. XLVII.

Liber de principiis naturæ, & artis Chemicæ.

EX quo Chemia recta insecutrix est Naturæ, sicut dicit Albertus, & tota procreatur & fundatur ex operatione Naturæ, præsertim cum posita sit in aliquibus præparatis naturalium entium; ideò conveniens erit scire proprietates entium naturalium, imò originem & causas eorundem, iis maximè qui in hac scientia laborant & errare non volunt; & inprimis notitiam naturalitatis & formarum entium intelligere opus est, quandoquidem ex his duobus principiis omnia naturalia existunt: deinde refert scire operationem naturæ, ut ex hac scientia operationem suam regere & dirigere sciat.

In generali & primò de naturalitate naturalium rerum est cognoscendum, quomodo sapientia Dei circulos & sphæras

totius mundi in duas partes seorsum, sicut mundum naturalem in terrestrem & cœlestem divisit. Prima quidem pars est orbis quatuor elementorum, incipiendo à terra usq; ad sphæram Lunæ, in qua altera pars mundi incipit ascendendo usque ad cœlum stellatum. Mundus primus creatus est in materia communi, sic quòd sapientia Dei informatam materiam creavit, de qua Philosophi & Doctores sacræ scripturæ multa scribunt; & istam materiam adhuc in quatuor partes divisit, quamlibet in speciali cum frigiditate, caliditate, siccitate & humiditate informavit, sic quòd hæ proprietates & formæ, sicut calor & frigus, à natura sint contrariæ, & non possint stare simul. Igitur in prædicta materia separatim divisæ sunt in quatuor partes, quatuor elementa vulgò dicta, sic quòd mediatè calori frigiditas conjungatur & humiditas siccitati: & hoc ideò factum est, ut omnia naturalia ex conjunctione elementorum consequenter in naturalitate possent existere.

Et ideò quatuor elementa creata sunt propter naturalitatem omnium rerum;

quia

quia omnis res habet ſuum naturale eſſe ex commixtione & conjunctione quatuor elementorum, non taliter accipiendo, ut quodlibet elementorum conjungatur alteri per ſe, quia naturaliter unum refutat locum alterius, ſed unum per calorem coarctatur, trahitur & ſublimatur in alterum, taliter ut ſimplex & purum elementum ſine admixtione alterius non inveniamus. Huic in fidem non inveniemus terram ita exiccatam, quin humiditatem in ſe contineat; neq; aquam inveniemus, cui non inſit terreſtreitas, ut deſtillando aquam diſcernitur, imò rariſſimè eſt terra abſq; intrinſeco calore. Et eſt notandum, quòd in qualibet re duo tantùm elementa appareant viſibiliter, aqua nimirum & terra, duo autem reliqua non appareant oculis, ſed lateant in compoſito, ſic quòd calor, h. e. ignis in terra concluditur, & aër in aqua; quo autem modo iſta fiant, non multum refert hic ſcire. Sed tantùm modo conſiderare debemus, quòd natura à principio ex conjunctione quatuor elementorum præparat materiam communem rerum, & hanc materiam

quantò ſubtiliùs & agiliùs habilitat, digerit ac præparat ad aliquam formam, tantò propinquior eſt ſuæ formæ, & eò citiùs forma rei apparet: ſicuti artifex in principio ſui operis, aſſumens materiam groſſam, operatur ex ea effigiem; & quantò ſubtiliùs aptat, removet & agilitat materiam, tantò plùs imago apparet, & materia præparata remotis ſuperfluitatum partibus, tunc etiam forma rei præparata apparet, ſic ut forma educatur & extrahatur cum expolitione materiæ à ſuperfluitatibus. Pariter facit etiam natura; inprimis procreat materiam conveniente ex quatuor elementis, & impendit ſuam operationem huic materiæ, donec amovet & ſeparat immunditiem & partes ſuperfluitatum, & præparat materiam in tantum ſubtilem & agilem, quouſq; forma rei perfectè appareat & exiſtat. Cum verò materia adhuc maculam ſeu immunditiem retinet, tunc forma rei non perfectè ſeu tota apparet, ſed coinquinatur per talem immunditiem. Sic omnes formæ rerum naturalium ex præjacenti materia educuntur, & omnis res naturalis, ſive ſit animalis,

ſive

ſive vegetabilis, ſive mineralis, ſuam primam materiam ex quatuor elementis recipit, ex qua tunc conſequenter formaeducitur: ſic ut omnes res in his tribus includantur; ſunt enim aut pullulandæ ut omnia animalia; aut excreſcendæ & non pullulandæ, ut omnes plantæ, arbores & herbæ; aut neq; pullulandæ neq; excreſcendæ, ut ſunt lapides & mineræ, & hæc dicuntur metallica, & quodlibet iſtorum partitur in multivarias partes: ita rerum animalium quædam ſunt homines, leones, urſi, oves, boves &c. Sic etiam in multiplices partes natura vegetabilium dividitur: ſunt enim aliquæ vinum, aut triticum, aut pomum vel pyrum, pyrus vel pomus &c. Taliter multiplicatæ ſunt res metallicæ; aliquæ enim ſunt lapides & aliquæ mineræ &c. Et qualiter res multiplicatæ ſeu diviſæ ſunt, taliter multivarias habent materias, & talis multiplex naturalitas venit ex multiplici conjunctione elementorum: fortaſſe conjunguntur quinq; partes terræ, tres partes aquæ, duæ partes aëris & una ignis: vel in alio compoſito conjunguntur ſex partes aquæ, quatuor

partes terræ, una ignis, & tres aëris, & sic de singulis, in aliis aliter factum est: & talia elementa inæqualiter conjungibilia sunt innumerabilia; sed & innumerabiles sunt eorum partes & materiæ omnium rerum, & talis conjunctio elementorum secundum rectam proportionem cujuslibet rei solummodò nota est naturæ, quoniam ipsa sola scit mensuram certam, prout convenit materiæ rerum de quolibet elemento assumere, & cum tetigit rectam proportionem (suis operationibus mediantibus) aptatam communi materiæ, tunc forma & essentia rei apparet. Sed ad talem operationem & intentionem finalemq; habilitationem elementorum influentiæ & virtutes stellarum ac planetarum multum deserviunt, quoniam istæ virtutes juvant naturam operari, conjungere & unire elementa, velut ars in artifice est, cum qua educit figuram & formam effigiei, quemadmodum cordi artificis imago imprimitur, talem etiam format in materia. Pariter est in natura, si influentiæ deserviunt materiæ ad formam piscium, juvant tunc elementa conjungere, præparare & habilitare

litare, ut ex tali conjunctione & unione appareat forma & essentia piscium. Sed si deserviunt influentiæ & virtutes cœlestes formę auri, operatur etiam natura his mediantibus in tale compositum elementorum, donec elementa sint unita taliter, ut ex tali substantia & essentia aurum oriatur: quoniam quælibet proportio elementorum specialem aspectum, formę statum & essentiam exportat, veluti accumulatio multivariarum rerum facit multivarias species & formas accumulato: elementis verò unitis & conjunctis, ita ut perfectæ formæ, ad quas influentię seu siderum virtutes descendentes à superioribus in materiam deservicebant, extent, cessat tunc operatio naturæ, quia usq; ad finem suam intentionem perduxit, uti artifex cessat, cum duxerit formam rei, quam retinuerat in corde educere ex materia. Sic semper natura per influentias & virtutes stellares, quæ sunt semina formarum, operatur, quia per tales virtutes materia inclinatur ad formam similem virtutibus. Forma verò præparata & educta à materia mediantibus virtutibus, cessat tunc natura, &

non operatur ampliùs ad hanc formam producendam, cum ſit præparata & exacta. Sed talis res inde accipit incrementum & decrementum, ſecundùm quod natura in iſtam operatur, ſic ſaltem res fit increſcibilis & decreſcibilis. Et talis influentiæ ſtellarum dicuntur virtutes ſeminalitatis formę, & ideò cum ſint in genere tres naturalitates omnium rerum, videlicet animalis, vegetalis & metallica, ſimiliter ſunt tres influentiæ ſeminalitatis & virtutis formarum, animalis videlicet, vegetalis & metallica. De his virtutibus conſequenter ſciendum erit per pauca.

Formalis virtus & vis ſeminalis à ſuperioribus deſcendit primò ad elementa, deinde ex elementis perveniunt ad generalem naturalitatem rerum, & includuntur & reſervantur in iſta, ſic ut juvent ex illa formam naturalem educere, ut ſupra ponitur, & hæ virtutes deſcendunt per radios ſtellarum tanquam per vias proprias deſcendentes in mundum inferiorem, h. e. ad quatuor elementa; præſertim autem in terra ſuperfluè congregantur, quia terra eſt medium elementorum, in quo omnes

radii

radii ſtellarum accumulantur, colliguntur & congregantur, quaſi omnes lineæ circuli in uno puncto coadunantur; & ſic radii ſtellarum accumulantur in terra, trahentes ſecum vires ſeminales formarum omnium rerum. Igitur maximè conveniunt in terra plus quàm in cæteris elementis. Propterea dicit Albertus in libro de elementorum proprietatibus cap. 24. Cum terra ſit centrum & punctum totius mundi & in ea conveniant omnes radii ſiderum ſeu cœli ſtellati, ideò concipit multas figuras, influentias & virtutes, quibus mediantibus res multiplices & varias formas producit, & hoc nullum aliâs facit elementum. Igitur præ cæteris elementum terræ mater omnium rerum dicitur, quoniam concipit ſemina omnium rerum, & virtutes à ſuperioribus deſcendentes, imò de die in diem adimpletur his virtutibus quoad cœli moventur. Ideò S. Auguſtinus dicit in l. 3. de ſancta Trinitate c. 9. (a) Gravidus eſt mundus iſte propter cauſas rerum vegetabilium, ſicuti gravida eſt mater à fœtu. Et iterum in eodem: Omnes res ortæ & præſertim creatæ

ſunt

sunt in elementorum conjunctionibus, unde debito tempore & maturitate educuntur. Hoc modo omnes res naturales mediante vi seminali in elementis includuntur. Similiter dicit idem S. Augustinus in libro prænotato in capitulo de miraculis, quæ fieri habent cum artibus magicis: (b) Pro certo in elementis corporalibus hujus mundi sunt in absconso formæ occultæ omnium rerum, quę corporaliter & visibiliter excrescunt, & hæc semina ex origine aliud non sunt, quàm influentiæ cœlestium virtutum descendentes à superioribus.

(Verba Augustini in locis citatis) (a) Ista quippe originaliter ac primordialiter in quadã textura elementorum cuncta jam creata sunt, sed acceptis opportunitatibus prodeunt. Nam sicut matres gravidæ sunt fœtibus, sic ipse mundus gravidus est causis nascentium, quæ in illo non creantur, nisi ab illa summa essentia, ubi nec oritur, nec moritur aliquid, nec incipit esse nec desinit.

(b) Omnium quippe rerum, quæ corporaliter visibiliterq; nascuntur, occulta quædam semina in istis corporeis mundi hujus elementis latent: alia enim sunt hæc jam conspicua oculis nostris ex fructibus & animantibus, alia verò illa occulta istorum seminum semina.

Ad capiendum has virtutes & præsertim metallorum, Philosophus Raymundus Lullius

Lullius aliquas aquas prępparendas excogitavit, ad locandum has ſub terram, in quas deſcendere & ſe ponere debent hę virtutes, quoniam proprietas virtutum cœleſtium & ſeminalium rerum eſt, cum deſcendunt in terram, ut moveantur & movean t procurando & augmentando quoſdam ſpiritus agiles, condenſando & præparando ſibi hos in ſedile & ſuſtentaculum, ut iterum dicit Raymundus. Et ſi per artem præparare poſſumus convenientem & agilem ſpiritum, hoc eſt materiam ſubtilem his virtutibus aptam ad fodiendum talem in terram, citiùs ab his agilibus ſpiritibus, in quibus ſe debent ponere, trahuntur & arripiuntur, quàm quòd virtutes prædictę trahant ſeu arripiant de præparatis ſpiritibus, quia, ut dicit Raymundus, tales ſpiritus & materia ſubtilis impoſita terræ attrahit virtutes deſuper venientes ultrà quàm duo jacula unius baliſtę eſſent: ſicut magnes ferrum attrahit, ita his inſtrumentis captantur virtutes minerales deſuper venientes. Et iterum in eodem dicit Raymundus, quòd hę virtutes captę in aqua (quam facere docet) habent coa-

gulare

gulare mercurium vulgi in argentum bonum ablq; omni igne. Sunt autem majorum virtutum ſi captivantur in altiori & ſubtili materia. Sed quomodo hęc aqua præparatur, docet ipſe Raymundus in libro de lapidibus pretioſis; quod hîc non ponam.

Sed ſciendum ipſum cepiſſe virtutes cœleſtes & ſeminalitates formarum his aquis, uti per oppoſitionem Lunæ menſis capitur. (Ea etiam ſunt verba mſ. mei Latini exemplaris, ſed videtur locus corruptus. Germanicus meus liber habet, **gleichſamb durch die Fallen man die Mäuſe fähet** h. e. prout mures muſcipulis capiuntur; & hic ſenſus videtur genuinus.)

Igitur hoc modo prętactum eſt in generali ſermone, quomodo omnes res naturales eſſentiam & ſubſtantiam habent ex duplici portione materię videlicet & formę, & materia provenit ex elementis, forma verò originem trahit ex virtutibus cœleſtibus, quoniam his mediantibus forma educitur ex materia elementorum. Unde Magiſter Ferrarienſis dicit; elementa ſeu materia proveniens ex elementis eſt quaſi inſtrumentum naturæ & virtutum cœleſtium; & quantò ſubtiliores tales

materiæ

materiæ elementorum ſunt, in quas virtutes prædictę ſe poſuerunt, tantò fortiùs hę virtutes per illas operantur; & hæc materia agilitata dicitur in Alchymia ſpiritus, qui captatur propter virtutes, quę ipſi inſunt, & ſic tantummodò hîc dicendum erit de Alchymia, quę tranſmutat metalla in aurum excluſis naturalitatibus rerum aliarum. Igitur ſolummodò naturalitatem auri & virtutes formę auri, & etiam incommodum eorũ ſcire debemus, quoniam ex his duobus procreatur aurum. Propterea ſpecialis ſermo de origine & eſſe metallorum ſequitur.

Albertus c. 3. de lapidibus dicit: Si natura eſt initium & exordium artis, igitur primò ſcire initium & procreationem naturalem metallorum convenientiſſimum erit. Pari modo dicit Geber rex Hiſpaniæ c. 1. ſuæ ſummę: Si quis neſcit initium ſeu exordium naturę, ſimul qui neſcit naturalitatem & formalem virtutem auri, hic valdè remotus eſt ab arte noſtra, quoniam non habet radicem, ſupra quam ſuam fundatintentionem. Etiterum in eodem dicit: qui neſcit exordium modi generationi

tionis metallorum, ſecundùm intentionem naturę, quamvis ſciat initium, hic non poteſt finem hujus ſcientię attingere, quia hęc ars, ut dicit Ferrarienſis c. 27. eſt in recognitione materię auri & operatione naturę. Sic ut ars in tali operatione naturam, in quantum poteſt, imitetur: dicit enim Albertus in libro metallor. c. 1. Materia lapidum, ex qua lapides formantur, non multùm ab elementis ſeparata eſt, h. e. nulla tranſmutatio elementorum, videlicet aquę & terrę, quę ſunt materia lapidum, facta eſt, quemadmodum idem Albertus ponit c. 20. libri primi, in gradu uno viſcoſitas & humiditas terrenoſa eſt materia lapidum. Sic lapides groſſi generantur ex terra permixta cum humiditate viſcoſa. Sed lapidum perſpicuitas eſt eorum materia cum aqua permixta aliqualiter cum terra ſubtili & agili, ita ut nondum ſit facta perfecta permutatio aquę & terræ, ſicut fit in materia metallorum. Et ideô dicit Albertus, quemadmodum ad generationem corporum animalium permixtio aliquorũ vaporum antecedit materiam, ita ante formam metallorum requiritur

quiritur permixtio ſulphuris & mercurii. Propterea dicunt philoſophi, & conveniunt omnes Alchimiſtę, quòd metalla aliud non ſunt, quàm vapor ſubtilis reſolutus ab argento vivo cum ſubſtantia ſulphurea mediante calore temperato in profundiſſimis mineralium terræ cavernis: qui vapores continent humiditatem, quę excellit omnes humiditates: & talis humiditas temperatur & condenſatur mediante tenuiſſima terreſtri ſiccitate in illa abſconſa. Et hic calor temperatus componendo, permiſcendo, ſolvendo, & ſublimando hos vapores ad locum extractioni convenientem, qui continet talem humiditatem, digerit, ſubtiliat & condenſat eam, & talis humiditas eſt cauſa fluxibilitatis in metallis, & ultimatè tranſmutatur in aurum vel aliud metallum.

Tales vapores ex argento vivo & ſulphure trahuntur, & hoc modo argentum vivum & ſulphur conveniunt ad metalla, & ex illis veniunt vapores, ex quibus inde coagulantur metalla. Igitur conſequenter ſciendum eſt, ut dicit Geber in ſua ſumma: Sulphur aliud non eſt, quàm pingue-

do terræ in minera ſua calore temperato decocta, indurata & condenſata. Sed argentum vivum, ſicut dicit Ferrarienſis c. 25. eſt aqua gravis cum terra alba multum ſubtili permixta & digeſta, donec humiditas cum ſiccitate terræ ſit unita & permixta, ſic ut æqualiter ſint tranſmutata, & ex hoc argentum vivum factum eſt, ut Ariſtoteles dicit, & hęc eſt materia communis omnium metallorum; ſed requiritur ut ſit permixta cum ſulphure, quemadmodum patenter minerę omnium metallorum indicant, ſulphur in operatione omnium metallorum convenire, quia in omnibus mineralibus & mineris ſulphur invenitur, & quamvis in aliquib⁹ mineris ſeorſum inveniatur ſulphur & argentum vivum, & hoc ideò ut natura indicet, ex quibus metalla generentur, tamen in generatione metallorum requiritur eorum compoſitio. Ideò omnia æra, ex quibus metalla proveniunt, ſulphureum dant fœtorem, & hoc eſt ſignum, hæc duo ſulphur & argentum vivum in generatione convenire, ſed tamen diſtincta, ita ut ſulphur adſit tanquam actor,

ctor, & argentum vivum ut materia ſuſcipiens actionem ſulphuris. Sciendum etjam eſt, quòd ſulphur & argentum vivum in generatione metallorum pari modo conveniunt, ſicut ſemen virile & muliebre : ſemen enim virile continet virtutem activam naturalem, quam cepit à viro, mediante quo agit in ſanguinem mulieris, in quo illud ſemen permiſcuit ſe per coitum viri & mulieris ; quoniam mulieri, ut ponunt philoſophi naturales, in procreatione pueri convenit ſanguis, cum quo permiſcetur ſemen viri, & tandem ex hoc ſanguine mediante ſua virtute activa & calore naturali operatur Cor, & immittit cordi virtutem ſuam generativã, quæ eſt ſimilis omninò virtute, quam cepit à ſemine virili. Quo peracto ſemen viri non conducit actioni generationis ampliùs, quoniam Cor conſequenter generare poteſt omnia alia membra, mediante vi ſeminali quam ſibi habet immiſſam à ſemine virili, abſque ſeminis præſentia. Propterea ſeparatur ſemen viri à corde compoſito ex ſanguine mulieris per vim ſuam activam,

ſolummodò relinquendo illi eſſentiam virtutis formalem ipſi immiſſam, qua mediante cor de cætero agit & perficit reliqua membra & totam ſubſtantiam hominis, & ſic ſemen viri non venit in ſubſtantiam fœtus, ita ut fœtus ex ſemine viri non procreetur, ſed ex ſanguine mulieris, in quem ſemen viri immittit ſuam virtutem activam, à quo tunc ſeparatur, quemadmodum artifex ſeparatur ab opere, in quo ſuam intentionem perfecit. Conſiderandum ergò eſt ſemen viri ſolummodò eſſe actorem & ſanguinem mulieris ſuſcipere talem actionem & pati ab eo, qua mediante recipit ſeu concipit virtutem activam ad alia membra; & ideò dicit Ariſtot. l. de animal. c. 19 Vir dat formam & initium operationi, mulier verò corpus & materiam. Sic eſt ſimile quiddam in ſulphure & argento vivo, ita ut argentum vivum ſit materia metallorum, & ſulphur ſit quaſi ſemen virile agens in argentum vivum: quoniam ſulphur continet virtutem occultam & abſconſam metallicam, qua mediante & ſuo calore naturali digerit & generat ſeu excitat in argento vivo ſulphur

proprium

proprium agile & ſubtile & virtutem quæ eſt prima virtus & genitrix auri: tunc ſeparatur ſulphur extraneum, ſed argentum vivum cum virtute propria miſſa & ſulphurea, abſq; adjutorio ſulphuris groſſi, perficit ac in format aurum, & hæc ſubtilis ſulphureitas aſſimilatur cordi. Forma & tinctura auri, quam omnes philoſophi quærunt, eſt illa, de qua Raſis loquitur in libro luminis luminum, dicens cap. 1. Tinctura ineſt lapidi ut Cor animali, quia cum ſulphur extraneum immiſit ſua virtute potentiam activam ipſi argento vivo excitando, perficiendo & confortando, ſeparatur tunc ab eo groſſa ſulphureitas. Ideò in omnibus mineris metallorum ſulphurei lapides reperiuntur, & ſic ſulphur continet naturam & virtutem metallicam. Igitur multum de eo tractant Alchymiſtę, & hoc propter virtutem, qua mediante argentum vivum induratur & congelatur, quod patet, quia per fumum ſeu vaporem ejus & ipſius plumbi induratur argentum vivum. Ideò Ariſtot. Philoſophus dicit in libro impreſſionum c. 4. Sulphur eſt proprium induramentum & coagulamentum

argenti vivi, & hoc provenit ex virtute concepta in terra, quæ descendit à sideribus desuper in terram.

Sed tamen sciendum, quemadmodum duæ sunt sulphureitates, ita duæ sunt tincturæ & virtutes metallicæ, una videlicet sulphuris grossi altera subtilis. Et quamvis hę duæ sulphureitates coagulant & tingunt argentum vivum in metalla, tamen sulphur grossum tingit & coagulat argentum vivum imperfectè, quia est immundum & malum; igitur tincturam immundam habet: Ideò Geber ponit tincturam sulphuris grossi in sua summa; sed sulphur subtile, mundum & agile perfectè tingit, quia mundum est, & ideò mundam tincturam habet. Sic patet sulphur esse actorem metallorum, & argentum vivum materiam, ex qua formæ metallorum aguntur, & interim agens extraneum remanet cum materia non habente metallum perfectum: ideò in omnibus imperfectis metallis sulphureitas invenitur; sed si grossa sulphureitas separatur, habetur metallum perfectum: propterea in auro non invenitur sulphur immundum quoniam est perfectum solummodò. Nunc

Nunc evidenter manifeſtatum eſt, ex quibus principiis natura metalla procreat, quod fit ex ſulphure & argento vivo; ex ſulphure tanquam ex ſemine & actore, quod ſeparatur tandem, ut artifex ſe abſentans cum ſuum opus perfecerit, & ex argento vivo tanquam ex materia, quæ remanet & dat corpus. Conſequenter Alchymiſtæ dicunt, & præſertim Geber in ſua ſumma in cap. de creatione metallorũ, naturam metalla operari ex ſulphure & argento vivo. Et Ferrarienſis dicit in quæſtione de Alchimia c. 25. Naturam aſſumere à principio generationis metallorum aquam gravem & viſcoſam & permixtam cum terra albâ ſulphurea, valdè ſubtili, digerendo, indurando, compingendo aquæ humiditatẽ cum ſiccitate & uniendo, donec eorum ſubſtantia exiſtit, quæ dicitur argentum vivum. Et iſtud eſt propria & immediata materia metallorũ, ex qua conſequenter omnia metalla originem, ſubſtantiam & eſſentiam habent. Et ſi natura creat argentum vivum purum in munda materia & tale refugit operationẽ naturæ propter calorem nimium, per quẽ cogitur

aſcendére, vel propter aliam cauſam aſcenderit, & non erit metallum, ſed remanet argentum vivum, h. e. in commodum artis, cum natura ſtudiosè indicet materiam auri, quia tale argentum vivum eſt materia immediata auri & metallorum. Et ſi tale argentum vivum non refugiat operationem naturæ, ſed remanet, & nullum ſupervenirit obſtaculum naturæ in ſua operatione, tunc per naturam reſolvitur in vaporem, digeritur & decoquitur calore temperato in loco ſublimiori ſublimando & ſæpius lavando cum aqua mineræ, depurando & incolurando per talem decoctionem cum calore ſulphuris, abſolvendo illud ultimatè ab omni immunda ſulphureitate, ſic ut purum & mundum exiſtat, & tunc tranſmutatur in aurũ: & in tali abſolutione excluſa ſulphureitate, ut dicit Ferrarienſis c. 26. natura immediatè illud argentum vivum purum informat formã auri, quoniam intentio naturæ alia non eſt, quàm ut ex tali argento vivo puro faciat aurum, tanquam ex materia propria auri, & ſic remanet ſulphureitas à ſubſtantia auri excluſa, & natura mediante ſulphure tale

re tale argentum vivum digessit, decoxit & præparavit. Cum verò talis decoctio & digestio perfectè exacta fuerit, tunc natura. tale argentum vivum propria vi, fortitudine ac subtili sulphureitate ipsum in tali digestione seu decoctione data, excitata & inducta figit, & sic solummodò purissimum argentum vivum sine omni grossa sulphureitate in aurum fixatur; hoc modo patet primus modus generationis auri naturalis. Et si argentum vivum aliquas recipit immunditias, aut ipsi supervenerit aliquod obstaculum seu detrimentum per nimium calorem vel per ignis debilitatem, vel per locum immundum, vel materia h. e. argentum vivum cum sulphureitate permixtum fuerit grossa & immunda, aut aliâs incommodi aliquid acciderit & obstaculum quod natura non potest consumere, separare & decoquere, tunc non fit ex illo aurum: interim talis immunditia remanet in eo, & generatur argentum, cuprum, stannum, plumbum vel ferrum, secundùm quod de immunditia fuerit, multum aut parum, aut pluris vel minoris est decoctionis: & ideò inveniuntur metalla imper-

fecta unum plus altero habere de ſulphureitate & immundicia: Et ſciendũ, quamvis talis immundicia & abſconſum ſulphur cum argento vivo miſceatur, tum iſta ſulphureitas abſconſa argento vivo nociva non eſt, ſic ut tale argentum vivum comburatur per tale ſulphur: ſolummodò enim ſulphur comburitur abſq; argenti vivi combuſtione, quod cum ipſo in imperfectis metallis permiſcetur. Igitur tale argentum vivum exiſtens in metallis imperfectis non recipit combuſtionem, ſed remanet incombuſtum, fugiens & effumans ab igne, & illud eſt ſignum veritatis & incombuſtibilitatis argenti vivi, quia in cinabrio, conſtante ex ſulphure & argento vivo, cum reductum fuerit, tantum invenitur de argento vivo, quantum impoſitum fuit, in ſignum incombuſtionis illius, & hæc combuſtio & deficientia metallorum imperfectorum eſt ex parte ſulphuris mali, & non argenti vivi. Et ideò propter tale argentum vivum natura continuè agit in metallis imperfectis aurum ex his conſummare. Et ſi perpendere volumus intentionem rectam naturæ, conſtat eam

ſemper

ſemper ad ſuprema eſſe inclinatã, nempe ad aurum inter cætera metalla perfectiſſimum & optimũ producendũ: quod ſi fortè ex argento vivo natura perficere non potuit propter obſtantia accidentia, perficit aliud quod potuit, ex aliquo argentum, ex altero cuprum vel ſtannum ſecundũ quod parum vel multum fuit de obſtaculo, cum tamen hæc metalla ſint imperfecta & quæ natura non intendit, ut in tali forma remaneant, ad quam non ſunt procreata, ſed ad formam auri. Igitur non deſinit ab actione iſtorum metallorum imperfectorum, donec inſunt terræ, ſed agit de die in diem tale obſtaculum removendo & decoquendo, donec in puriſſimum argentum vivum illa reducantur, & in aurum digerantur: & hoc ut pateat, inveniuntur minerę permixtæ, ſic ut in minera plumbi, ſtanni, cupri, &c. aurum vel argentum inveniatur: aliquando etiam in mineris invenitur argentum imperfectum, quod ſuum tempus reſidere oportet donec decoctione in terra perficiatur. Si verò metalla imperfecta à natura in talem formam eſſent ordinata, ſine dubio relinquerentur in tali forma.

& non reducerentur per eam in aurum, quod tamen non fit. Propterea omnia metalla continent naturalitatem, per quam possunt in aurum pervenire. Et sic patet altera generatio auri; sunt enim duæ generationes auri, una videlicet ex argento vivo, quod non fuit permutatum in imperfectum metallum, altera ex imperfectis metallis h. e. ex argento vivo incluso ipsis metallis imperfectis; sic quòd primò propter accidens impuritatis imperfectum metallum erat, & in istud natura de die in diem agit continuè, donec argentum vivum purum extrahatur, & in aurum reducatur. Et in his duabus generationibus auri est una ultima dispositio, quamvis in medio distinguuntur, h. e. dicere, tales generationes non conveniunt in medio laboris, sed tantùm in fine; quia in prima generatione ex puro argento vivo natura non indiget tanto labore, ut in altera sive in generatione auri ex imperfectis metallis: quamvis in omnibus conveniant in prima specie materiæ primæ, quia in ambabus generationibus requiritur materiam puram esse & purum fieri argentum vivum ex quo primò procreatur forma

auri. Hoc modo duarum generationum est unus finis & unus modus, & conveniunt in depuratione argenti vivi ab omni sulphureitate, quoniam hic est finis & conclusio in decoctione auri, cum materia exspoliatur & mundatur ab omni aduſtiva sulphureitate, sic ut argentum vivum mundum existat, tunc redditur ei forma auri: & notandum solummodò substantiam argenti vivi purissimam esse perceptibilem formã auri, quæ materia per naturã copiosè in argento vivo & in omnib⁹ metallis imperfectis reservatur permixta cum sulphure & immundicia, quam mediante arte removere non possum⁹ digestione & decoctione ab his metallis imperfectis ad aurũ faciendũ, ut natura facit, quia vita nostra, ad hoc perficiendũ, tam diu non continuaret, neq; temperantia caloris neque aliæ causæ deservientes sunt nobis notæ. Propterea non possumus æquè in operatione auri naturam imitari, cum tamen per naturam superfluè in contraria materia auri in omnibus metallis imperfectis & in argento vivo reservatur, in quibus omnibus materia jam præparata & habilitata existit ad

formam

formam auri, nisi ut removeatur superflua sulphureitas, & præparetur forma : & ad præparandam formam natura multivarias sulphureitates, spiritus & materias agiles nobis contulit; quæ includunt metallicam virtutem & vim seminalem, conducentes multum formæ auri, videlicet in sulphure, sale petræ, alumine, marcasita, antimonio, in metallis & aliis lapidibus, etiam in aliquibus vegetabilibus, ex quibus trahuntur virtutes metallicæ: etiam indicata est nobis via operationis per naturam, ad quam ars extracta & excogitata est, destinata ad imitandam naturam, qua mediante perficere ea, quæ natura perficere non potest, imitando eam in quantum possibile fuerit, & his præparatis, mediantibus rebus supra dictis, metalla imperfecta perficere, philosophi adhuc multivarias vias statuerunt & dederunt, ut in parte aliquæ sequuntur, ex quibus doctrina sana & maxima subtilitas ad perficiendum effectum trahi potest.

(o)

De arte Chemica, & ejus principiis.

NUNC aggrediamur artem: & notandum est, quamvis natura ram ars imitatur, tamen omnimodè & in omnibus partibus non potest eam imitari, & specialiter in generatione auri non imitatur eam, quia natura generat aurum ex argento vivo aut ex metallis imperfectis removendo eorum sulphureitatem immundam. Ars primum non potest, quia talem digestionem & calorem temperatum ad argentum vivum non habet nec habere potest. Nec secundum potest, quia esset inconveniens homini tamdiu expectare, quousq; impuram sulphureitatem removeret ex metallis imperfectis, ut natura facit: sed tamen si ars omnimodè & maximè naturam imitari non potest, tamen imitatur eam in aliquibus partibus, in quantum potest. Igitur sunt aliqui qui non potuerunt sulphureitatem removere à metallis imperfectis, sed conficientes tincturam seu medicinam, non quidē removent sulphureitatem immundam

dam argenti vivi & metallorum imperfectorum, sed solummodò occultant & tegunt talem immundiciem, facientes speciem auri vel argenti, quod tamen falsum & prohibitum est ab omnibus Philosophis. Ideò qui totam substantiam imperfectorum metallorum tingunt, sic ut nihil immundum ab his removeatur, hi sunt falsarij, quia remanet in illis sulphur malum, aurum verò non debet in se sulphur continere. Adhuc alii intendunt metalla imperfecta omninò ab eorum sulphureitate vel sulphure purgare cum aliquibus salsis aquis & cum aluminibus, & de tali purgatione metallorum multa ponit Geber in sua summa, sed tunc est imperfectũ, quia non potest esse, ut metallum imperfectum ad formam auri purgetur, cum effumet materia subtilis in illis. Et ideò dicit Magister in textu Alchimiæ c. 1. Omnes ordines medicinarum, quos ponit Geber sunt fallibiles, excepto ordine tertio, quem ponit, & qui removet ipsis metallis imperfectis omne sulphur tingendo ea in perfectum aurum naturale. Et adhuc sunt alii, consequenter naturam insequentes, facientes

veras

veras tincturas ad argentum vivum & metalla imperfecta, quæ totaliter removent sulphur immundum, inducentes formam auri, & hæ sunt multiplices in modum ut sequitur. Vna est via, aliqui enim solummodò vim argenti vel auri confortant in eorum propriis substantiis, sic ut non primò extrahant naturam agilimam ad confortandum istam, sed recipiunt aurum vel argentum in propria substantia & confortant illud cum spiritibus, & hoc dupliciter. Aliqui recipiunt partem unam vitrioli, p. 1. salis Petræ, p. 1. aluminis & destillant phlegma, donec spiritus fortes & dissolventes ascendunt, & his præponunt recentem, mundam & claram aquam destillatam, optimè expellentes in eam spiritus igne fortissimo, & hujusmodi multos faciunt spiritus: deinde recipiunt alios spiritus, videlicet vini, benè purgatos, & subtiliter destillatos per balneum vel aliâs, & de his recipiunt uncias 4. ad ℔. 1. aquæ fortis in cucurbitam magnam, superponentes ei alembicum, claudunt & locant eam in aquã frigidam & bulliunt, donec cessat bullire, postea cucurbitam locant in balneum &

deſtillant aquam ſic ut ſpiritꝰ adhuc humi-
di remaneant: tunc refundunt ipſis aquam
priùs extractam, & agunt ut priùs, & illud
ſepties repetunt, ſemper deſtillantes cum
igne debili, donec non vult deſtillare ſed
remanet in fundo jacens inſtar olei. Hoc
oleum imponitux vitro, quòd matrix dici-
tur, & habet figuram inſtar crucis triangu-
latam, habens ſecundum latitudinem pal-
mam unam cum media, & ſecundum lon-
gitudinem palmam unam tantùm, inclu-
dentes illud cum ſigillo Hermetis, permit-
tentes hos ſpiritus aſcendere in acumen u-
nius partis: deinde vertunt vitrũ, & iterum
permittunt eos aſcendere in alterum acu-
men, & hoc faciunt donec non aſcendant,
ſed remanent in fundo; & tales ſpiritꝰ mer-
curium crudum dicunt congelare, & hoc
ideò faciunt, quia ut dicit philoſophus 4.
meteor. corpora metallica aliquales virtu-
tes metallicas conceperunt, ut quoq; atra-
menta, vitriolum, alumen ſalpetræ & alia
quam plura provenientia ex terra, & certè
omnia continentia ſulphureitatem, quia in
ſulphure eſt virtus metallica, quæ coagulat
argentum vivum, & tales res multũ habent
de vir-

de virtutibus metallicis, & propter virtutes, quas habent ſpiritus eorum recipiuntur, & quò ſubtiliores hi ſpiritus ſunt tantò fortiùs agunt, & majores virtutes habent: quidam enim philoſophus dicit & eſt manifeſta veritas, quòd hæ res in ſua naturalitate tales concludunt virtutes. Cum tamen depurantur & extrahuntur à naturalitate tunc centies efficiuntur fortiores. Propterea ſpiritus agiles ſeparantur ab eorum groſſitie, & adhuc præparantur ſubtiliùs, quàm ut primò extracti ſunt. Sed quid iſti ſpiritus Alchymiæ deſerviant, & ſpecialiter mediorum mineralium, ut ſunt victriolum, ſalpetræ, ponit Albertus l. 5. de mineral. c. 1. ubi dicit: diligentiſſimè illis conſideranda eſt natura mediorum metallorum ad tranſmutanda æra, qui laborant unum metallum in aliud tranſmutare, quoniam ipſis ineſt maxima ars: & hoc ideo quia eorum ſpiritus ſulphureitatem habent, cùm urant. Et iſta ſulphureitas ſeu oleitas fert virtutes metallicas, quoniam ſulphureitas, ut ſupra ponitur, coagulat metalla: igitur eſt ſignum, quod ipſis inſint virtutes metallicæ quas in terra conce-

perunt. Ex hoc ſequitur ſecretum, ſcilicet de vino, quia ex eo extrahitur oleitas urens, ergò participat cum ſulphure; & huic ineſt verè maxima virtus naturæ metallicæ, quam ex terra traxit & concepit. Et ſi illa oleitas, vel iſti ſpiritus agiliores ſunt multùm quàm cæterarum rerum, ideò virtutes eorum ſunt multum agiliores quàm cæterorum. Sed tamen ſciendum, quòd iſti ſpiritus, ſicut textus Alchimiæ dicit, & eſt veritas, qui veniunt ex vegetabilibus & animalibus rebus, non conducant ad Alchymiam, exiſtentes in natura vegetabili, ſed requiritur, ut per multiplicem depuratio-

nem & deſtillationem perveniant in naturam metallicam & tandem deſerviunt ei. Ergò eſt tantùm unus lapis & unum fundamentum neceſſarium arti, videlicet virtus metallica; quamvis interdum recipiantur vegetabiles & animales res, tamen non remanent in natura vegetabili vel animali, ſed tranſmutantur in naturam metallicam & ſulphuream quæ continet vim metallicam. Propterea dicebat Ferrarienſis c. 20. ſuarum quæſt. Impoſſibile eſt coagulare argentum vivum abſq; ſulphure vel alia re

ſulphu-

ſulphuream naturam non habente, quia ſulphur eſt coagulamentum argenti vivi,& ſi vino inſunt ſulphureitates, cum ſit urens, igitur ipſi ineſt natura metallica. Propter hoc ſunt aliqui in vino & auro vel argento, ſic ut ex vino trahant ſpiritum ejus agilimũ, confortantes cum eo virtutem auri, ita ut ſpiritus cum illo figantur, per quos conſequenter dilatatur & multiplicatur tinctura auri,& pro certo inter ſpiritus vini & ſpiritꝰ auri eſt maxima convenientia ſeu participatio,cũ utrobiq; ſint naturę calidę; igitur ſpiritus vini inſeparabiliter figuntur cũ auro. Sed tamen notandũ, quòd ſpiritus mediorũ mineralium,ſcilicet vitrioli etc. ſunt groſſioris fixionis & majoris convenientię cum auro, cum quaſi ex uno oriantur,ut ex mineris metallorũ, quàm ſpiritus vini, qui veniunt ex vegetabili natura; quamvis ſpiritus vini ſint agiliores & ſubtiliores. Ideò aliqui componunt ſpiritꝰ illorum,ſic ut ſpiritus vitrioli conjungantur ſpiritibus vini,ita ut unũ ingroſſetur cum altero,& ſint auro unibiliores. Sed tamen certè opus eſt illi, qui in his vult laborare, ut recipiat ſpiritꝰ fortiſſimos & reſpuriſſimas, ſic ut ſpiritus,

antequam cum auro vel argento figuntur, optimè purificentur. Propterea refert ut accipiatur vinum fortiſſimũ, clarum, purũ & dulce, boni odoris, ad quod reducuntur ſpiritus ſubtiliſſimi, ſemoti ab omni aqueitate, cum quibus purificantur metalla & eorum fæces, & quòd iterũ ſeparantur, & omnia quatuor elementa depurantur, & tandẽ rectificantur: quę tunc certe veram & rectam habent operationem. Sed quomodo talis operatio fiat, illud ſuperſedeo, quia textus Alchymiæ & Rupeſciſſa multa ponunt de iſta, ubi quilibet intuens ſcripta eorum profundiſſimo intellectu poteſt percipere contenta. Sic ſupra ſcriptum eſt quomodo aliqui aurum confortant mediantibus ſpiritibus, quibus inſunt virtutes metallicę abſq; diſſolutione & ſeparatione auri, non extrahentes ſubſtantiam auri agilem: pro nunc verò dicam quomodo aurum in ſubſtantia extracta confortatur.

Etſi virtutes cœleſtes, vires ſeminales, & præ omnibus metallicæ virtutes agunt per materiã rerum inferiùs exiſtentiũ tanquã per inſtrumẽta ſua, & quãtò agilior eſt materia, tantò agili⁹, ſubtili⁹ & forti⁹ agunt, & ideò tales virtutes multò alti⁹ & ſubtiliùs agunt

gunt in agilima auri ſubſtantia, quã cũ aurũ remanet in ſuo eſſe. Propterea ſunt aliqui Alchymiſtæ profundiſſimè inchoantes opera ſua, præponentes virtutem auri & vim ſeminalitatis iſti⁹, reducentes illud in radicem & originem ſuam uti priùs fuit, aut cũ quo eſſe ſuum cepit, quoniã cum quib⁹ oritur res cum illis fert ortũ: frumentũ ortum & vegetatum ex radice & ſemine cepit, igitur cum generare debet requiritur ut in ſuam radicem reducatur, & hoc fit per putrefactionem, quia per eam reducitur in radicem ſuam, & per putrefactionem reſolvitur virtus frumenti & aggregatur in terra in radicem, & per radicem recipit plures virtutes ex terra, quas attrahit ſecundum exigentiam ſuæ naturæ, & hoc modo virtus fortificatur, & tandem fert plures fructus. Inde ponitur in Evangelio: niſi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipſum, ſolũ manet; ſi autem mortuũ fuerit, multũ fructũ affert. Propterea requiritur, ut quælibet res moriatur, & per ſuam naturam in radicẽ reducatur, & vim ſeminalẽ attingat, ſi ſaltem debeat fructũ ferre: quia mediante radice & vi ſeminali continuè attrahit & recipit ex terra vires & virtutes

alias per quas ſuum ſimile dilatatur, quod fieri non poſſet re parmanente & includente ſemen ſuum in ſubſtantia propria groſſa: ſed in putrefactione terræ attrahit & recipit virtutes & vires ſeminales multas; & hoc modo ſeminalitas & virtus auri ad recipiendũ alias virtutes maximas metallicas requiritur ut confortetur & reducatur in radicem & fundamentum ſuum unde primò ortum habuit, ut de cætero alias virtutes & vires recipiat. Et hæc radix aliud non eſt, ſicut ſupra ponitur de generatione metallorum, quàm humoroſa & pinguis vaporeitas, collecta ex duabus naturis, argento vivo & ſulphure. Propterea aliqui Alchymiſtæ calcinant aurum & hoc imbibunt cum aliquibus oleitatibus ſeu ſpiritibus donec illam agilem naturam auri extrahant, quàm tunc conſequenter decoquunt & imbibunt cum aliquibus metallicis agilibus ſpiritibus, quos cum eo figunt, quouſq; ſua ſeminalitas ſit maximè confortata & in tincturam reducta: & talis operatio non eſt aliud, quàm ſi ſemen viri, quod eſt magnæ virtutis, reaſſumerctur intra corpus viri, & in eo de cætero (ſi conveniens

veniens esset) in omnibus membris decoqueretur & digereretur, tunc reciperet plures spiritus, & dilataretur sua vis seminalis in tantum, ut ex illo multùm fortior homo procrearetur, quám aliâs esset possibile, quòd vis & virt⁹ seminis ita augmentaretur, ut inde maximus homo fieret, si saltem adderetur illi sufficientia naturalitatis. Pari modo philosophi extraxerunt materiã auri agilimam, quam incluserunt & resolverunt in vitris cum spiritibus agilibus & metallicis virtutibus coagulantes & dissolventes, donec multum de virtutibus illorum spirituum illa materia recipiat, quam ex tunc figunt & tingentes plurimũ cætera metalla imperfecta & argentum vivum. Et hæc agilis materia auri in Alchymia vocatur Mercurius philosophorum, quem omnes philosophi quærunt. Quamvis multæ viæ sunt quibus aurum augmentatur, tamen hæc est via optima ut aurum in agilimum, h.e. in suum Mercurium reducatur, quoniam rectè naturam sic imitatur, ut supra ponitur: recipit enim natura argentum vivum cum sulphure mixtum, decoquit illud insimul, quousque ultimata grossa sulphureitas tota separatur, & ar-

gentum vivum purum ac mundum ſolummodò perſiſtat, quod tunc in aurũ formatur, ſicuti natura ſolummodò dat formam auri in argentum vivum puriſſimum. Pariter debemus virtutem & formalem ſeminalitatem inducere in puriſſimum argentum vivum, & in ſubtiliſſimam ſubſtantiam ipſius, quia talis ſubtilis ſubſtantia eſt capax formæ auri & virtutum & ſpirituum, ex quibus forma auri ſuam habet originem: & ideò Geber recipit argentum vivum, & docet ex illo trahere agilimam ſubſtantiam, ſic ut ad optimum præparetur.

Sciendum tamen eſt, quòd talis Mercurius totaliter præparatus per naturam imò totus agilis, agilior & ſubtilior jam in auro exiſtit, quam nos ipſum pręparare poſſum⁹. Et ideò dicit Ferrarienſis c. 25. Hi qui naturam imitari volunt, non recipiant argentũ vivũ ſolum, neq; ſulphur ſolùm ſed argentum vivum & ſulphur inſimul commixtum, non ſulphur & argentum vivum vulgi, ſed quod natura compoſuit & conduxit optimè pręparatũ & digeſtũ cum liquefactione ſuaviſſima: & illud aliud non eſt, quàm aurum, quoniam in eo agilima & optima unio ſulphuris & argenti vivi facta eſt, & aliâs per nul-

nullum, uti natura facit, fieri posset quoniã sic natura talem unionem agilimi argenti vivi & sulphuris propter auri procreationẽ seu formæ auri conceptionem fecit. Pariter talis unio facta est in commodum artis propter augmentationem virtutum quę in talem agilem materiam ponunt & trahunt exspiritibus, uti forma auri se intromiserat. Propterea dicit Senior; antiqui philosophi confecerunt tinctură ex auro, quia ipsum est fixa & permanens substantia. Et ideò dicit Avicenna, tale sulphur, ex quo natura aurum operatur infra terram, non habem⁹ supra terram, nisi in auro vel argento existat. Igitur dicit Geber in sua summa: talis Mercurius ex duobus trahitur, videlicet ex metallis perfectis & ex argento vivo, tamen ex metallis perfectiùs. Ergo optimus Mercurius fit ex auro, quia ipsum est minera recta artis & tincturæ. Et hic Mercurius dicitur radix & exordium tincturæ & artis. Ideò dicit Geber in sua summa c. 1. Qui nescit exordium naturæ, hic valdè remotus est ab hac arte. Et consequenter hoc sciendum est, quòd iste Mercurius in fine præparationis apparet albus, quamvis antea in sua extractione appareant colores multivarij. Sicuti in generatione fructuum, antequam

maturi exiſtant, colores apparent in illis, videlicet, viridis, croceus & alii, ultimò cum maturi fiunt, adipiſcuntur calorem proprium, quem etiam ſervant: ſimili modo fit in extractione Mercurii agilis cum quæritur apparent multi colores ante finem, ultimatè verò color ſuus proprius, qui eſt albus: quoniam ut Geber dicit, proprium eſt ſulphuris colore croceo incolorare, propterea aurum eſt crocei coloris. Cum verò ſulphur occultatur, & argentum vivum manifeſtatur, tunc eſt albi coloris. Igitur color albus ipſius proprium eſt, quoniam ipſum eſt argentum vivum puriſſimum. Propterea dicit Rhaſis, albedo & cryſtallina claritas ſunt ſigna ultimata ipſius. Igitur advertendum eſt cum Mercurius ex auro floreſcit, tunc iſte color eſt ſignum originis & floreſcentiæ & germinis ipſius Mercurii: quia aurum hoc modo in ſuã radicem agitur, & ad fundamentum primum pervenitur, unde prius ortum habuit, & eſt reductum in ſuam radicem uti res vegetabiles. Et hoc eſt quod dicitur, aurum cum ſeminatur corrumpitur & germinat & floret ut fructus ferat: & talis Mercurius dicitur lapis potens philoſophorum. Et cum

oritur

oritur, requiritur ſumma diligentia & cuſtodia, ne aufugiat & pereat. Igitur ſtatim ponatur ad fixionem, ut reſerveturſ quoniam cum præparatus fuerit & immediatè non fixatur, tunc fugit & perit. Ipſe eſt enim materia ex qua venit tinctura, quę recipit virtutes auri, & abſit negligentia fermentationis ſuæ cum corpore ſuo, h.e. cum auro alio & fixo. Quod ponit Ovidius de quodam ſene, qui bubeſcere cupiebat, cui dixit, ut ſcinderetur & divideretur in partes, & decoqueretur, donec perfectè decoqueretur, & non ultra: tunc ejus membra rejungerentur & unirentur & bubeſcerent. Cum autem cuſtos obdormiviſſet tempus perfectæ decoctionis, membra illius reſolvebantur in vaporem & non reddebatur vivus. Et hoc nihil aliud deſignat, quàm operationem & decoctionem auri, ut reducatur in radicem ſuam, hoc eſt in ſuum Mercurium, quoniam ipſe eſt capax virtutis ſpirituum. Et hic Mercurius cum revertitur & extractus fuerit, ſi non ſtatim reſervatur & fixatur, ſed ampli⁹ decoquitur & compellitur, tunc fugit & perit, & ſi tempus ſuum determinatum perfectæ decoctionis non expectatur, tunc etiam non valet, igi-

tur

tur ſumma diligentia eſt adhibenda tempore ſuæ præparationis, quemadmodum enim eſt in natura, ita ſimiliter eſt in arte. Et ſi per naturam non benè præparatur Mercurius, non fit ex eo aurum; ita ſimiliter, ſi non benè præparatur Mercurius ex auro, tunc non fit tinctura. Videmus enim in decoctione omnium aliarum rerum, quæ cum perfectè decoquuntur, ſi non deponantur ab igne, tunc comburuntur & pereunt, cum verò non perfectè decoquuntur, etiam nihil valent. Et ideò advertendum eſt in hoc opere ſignum perfectum ipſius Mercurij, & hoc aliud non eſt, quàm cum apparet in ſua albedine, puritate & mundicie, & iſtud philoſophi dicunt materiam primam lapidis, hoc eſt, materiam primam ex qua fit tinctura. Tunc enim materia prima munda & abſq; omni admixtione facta eſt ſimplex, & ſic elementa ſeorſum ſegregata & ſeparata ſunt, id eſt aurum ad agilimum pervenit & reductum eſt in radicem ſuam primam, in qua potens eſt concipere & attrahere alias virtutes maximas & ſpiritus. Simili modo ut frumentum quò fructus ferat mediante putrefactione terrena reducitur

in radicem, per quam est capax ad recipiendum ex terra virtutes dilatationis, & si incorruptum remanserit, tunc non recipit virtutes, nec augmentatur; simile est in auro, manens in propria substantia incorruptum, & quousque corrumpatur, non recipit virtutes & vires seminales, quia non est habile & pronum ad recipiendum tales virtutes. Cum autem ad materiam primam & agilimam naturam reducitur, tunc recipit virtutes, & participat cùm vegetabilibus. Et ideò dicit Thales: (Halij) hic lapis oritur, sicut res germinans. Igitur aliud notandum non erit, quàm ut primò, si saltem debeat fieri tinctura recta & certa, habeatur substantia agilis Mercurij optimè præparata in materiam & essentiam ejus gradus, uti esset, quam natura in terra informat. Sic pariter cum natura agilimè perfecerit Mercurium, tunc infundit ipsi formam auri. Oportet ergo ut habeamus Mercurium agilem, & huic infundamus & reddamus ei tincturam: aut ut recipiamus ipsum ex argento vivo, vel ex auro vel ex quacunque re talis materia agilis venerit, requiriturut sit subtilis, clara, munda & pura, sicuti

in

in principio, ubi natura in eam formam auri induxerat. Et ideò dicit liber 1. ſtolicor. In ſubtilitate noſtræ artis facimus materiam, ut educamus rem ſimilem ſicut priùs erat ab initio, abſolutam ab omni adverſa tranſmutatione, h. e. ut ſit res ſimplex ſegregata ex ſubſtantia terrena elementorum, non quòd eſſet res abſq; elementis, ſed res ſubtiliſſimè præparata. Et ideò dicit Plato: operatio noſtra non eſt omninò ſimilis operationi naturæ, quia natura ex ſimplicibus, ſicut ex elementis, facit compoſita & naturalia, ſed nos è contrario. Cum enim facimus ex compoſitis ſimplicia, ſicut ex auro, ſegregamus rem & naturam agilem, ex qua tunc faciam⁹ rem compoſitam, h. e. tincturam. Et hæc res ſimplex & extracta hoc in loco dicitur materia: & ideò Mercurius agilis eſt res, quam natura non perfecit, quia non fecit ex ea tincturam, ſed ſolummodò dedit ei formam, ultra quam non potuit eam ducere in tincturam: quia nõ potuit dare formam convenientem tincturæ. Sed illud poteſt homo mediante arte, & hęc res dicitur Luna recta antecedens Solem, h. e. aurum & decoratur cum auro. Quoniam hæc Luna

eſt

est iste Mercurius & decoratur & informatur cum auro, ut in consequentib⁹ breviter ponitur, ipsum aurum esse animam illius Mercurii. De isto scribit Senior dicens: Sol oritur in Luna crescente, & iste Mercurius dicitur corpus mortuum, quod revificatur per additionem animæ suæ: & hæc est mulier cui vir associatur, de quo Rhasis ponit in libro luminis luminum, dicens: servus rubicundus albam duxit mulierem. Et est prænotandum rem esse multùm agiliorem & subtiliorem, ut sua forma ei reddatur, cum sit mundata & subtiliata ab omni terrestreitate, quàm cum retineret terrestreitatem. Similis modus hic est: Si verò aurum in hunc agilem Mercurium reducitur, & sua forma ei datur, tunc maximè agilitatur & subtiliatur ad penetrandum. Et hoc sit dictum de una parte, videlicet de auri materia, quæ rectè dicitur Mercurius philosophorum qui est medium conjungendi tincturam, de quo multa ponit Geber in sua sum̃a, & si habetur facilimè totũ opus consum̃atur, & ideò dicitur lapis patens. Nunc dicendum est de lapide occulto, qui dicitur forma & anima ipsius.

Mercurius prędictus factus est fugitivus,

requiritur ergò, ut figatur & ſtabiliatur: item factus eſt mortuus & raptus ab anima, ipſe enim eſt materia: igitur reddamus ei formam & animam ut vivus efficiatur & ſtabiliatur. Et ideò dicit Plato; materia flueret in infinitum niſi forma præveniret & reſtringeret fluxum. Igitur apponenda eſt forma propria huic materiæ: Et ſciendum quòd talis forma aliud non eſt quàm aurum. Quamvis autem materia ſupradicta ad aurum convenienter diceretur forma ſive anima, & aurũ ex ſe diceretur materia & corpus, quoniã hęc materia agilior eſt auro; in ſe tamẽ hîc dicitur materia agilis corpus vel materia, & corp⁹ auri dicitur forma & anima, quia, ut Rhaſis dicit, corp⁹ eſt forma, ſpiritus verò materia. Et benè loquitur, quia materia eſſe ſuum non habet ſine forma, ſicut ea agilis materia ſuum eſſe & permanere non habet, niſi à corpore auri. Propterea corpus & aurum eſt quaſi vinculum & forma Mercurii prædicti. Et ideò dicit Hermes; abſq; lapide rubeo non fit tinctura vera. Item Geber ſic dicit: nullum metallum ſubmergitur in Mercurio, niſi aurum. Sed deberet dicere, in prædicto Mercurio liquetur & ſubmergatur aurum,

rum, ſi tinctura ex eo fieri debet. Et iterum dicit in ſua ſumma: cum auro permiſcentur ſpiritus & figuntur ſubtilitate artis. Etiam Morienus dicit: opus in finem non producitur, donec aurum & argentum conjungantur; & in argento præfigurat Mercurium ante dictum. Et hoc vult Rhaſis dicens: Servus rubeus, ut ſupra &c. Etiam hoc vult Virgilius 6. Æneid. in fabula ubi ponit, quomodo Æneas & Sybilla aggreſſi ſunt virgultum, & cũ amputabatur media pars virgulti, tunc ſemper recreſcebat. Et hoc eſt flumen aureum, quod Ovidius & multi Poëtæ in facetiis eloquiorum ſuorum occultaverunt. Tale aurum & talis ars dicitur fermentum, quod perficit tincturam, & pro certo in illo latet tota ars, quoniam ipſum eſt corpus, retinens animam. Sicut enim anima ſuas vires demonſtrare non poteſt, niſi in corpore, ita tinctura abſq; additione corporis non perficitur. Igitur ſtatim cum hæc materia fuerit extracta, orta & apparata, reducatur ad corp⁹ & fermentum, quia cum ipſo ſtabilitatur, ut non fugiat & figatur. Et hoc vult Plato dicens 4. libro ſtolicor: Huic corpori adjungatur anima de quo fuit, & non alio, quia non habet vi-

bet vitam, nisi per proprium corpus. Sicut pasta non vult fermentari cum alieno, sed cum sua natura, ita Mercurius prædictus non alio fermentatur, quàm cum suo corpore. Et ideò dicit Hermes: fermentum auri aliud non est quàm aurum. Et quamvis materia primò sit alba, tamen est aureæ naturæ, quia ex auro provenit, & in fine transmutatur in rubedinem croceam, cum apponitur ei fermentum. Et hæc sunt ista duo elementa, quæ in unum conjunguntur, scilicet humidum & siccum. Humidum est Mercurius iste agilis extractus ab auro, qui factus est fugitivus & fluxibilis, & hoc per primam operationem: Siccum verò est corpus & fermentum, quo mediante figimus, capimus & reservamus Mercurium prædictum, & istud corpus dicitur lapis occultus; quoniam nullus philosophorum satis mirari potuit, unde esset illud, ut fugitivus Mercurius prædictus attraheret & fugitivum redderet corp⁹ sibi appositum: & è contrà corpus fixum attraheret Mercurium fugitivum, & reservaret ipsum in æternum ne fugeret; sunt enim unius naturæ, ideò uniuntur. Ideò illud corpus dicitur lapis occultus, quia solus fert agilita-

tes

tes & virtutes, quę ſenſu non percipiuntur, niſi ut capiantur ſolummodò per prædictum purum & extractum Mercurium, qui his virtutibus præponitur. Undę Geber dicit: Mercurius colorem croceum habere non poteſt, niſi cum admixtione rei tingentis ipſium, quæ ſolummodò naturæ eſt cognita: ubi nota, quòd putet aurum, quia occultè totam continet tincturam: & ideò alibi dicit; aurum eſt perfecta tinctura. Hoc etiam dicit Hermes: hic eſt lapis benedictus, ſine cujus permixtione lapidis patentis, h.e. mercurij antedicti, tota perit tinctura. Et hic lapis benedictus eſt cor, forma & tinctura auri, quam quærunt omnes Philoſophi. De quo ſcribit Hermes, dicens: adhuc in fine hujus ſeculi cœlum & terra conjunguntur, intelligens per cœlum & terram prædicta duo entia. Et hoc opus bipartitum eſt, id eſt, duas habet partes: prima pars eſt de præparatione Mercurij, ſecunda eſt de fixatione & fermentatione ipſius Mercurij, quia tunc fit vera unio elementorum, quia rectè conjunguntur res agens & virtus patiens, quæ ſimul uniuntur. Et ideò cum tales res ſint compoſitæ & rectè præparatæ, ut convenit, & appo-

ſitæ in vitro calori temperato, tunc per ſe agit natura, ſicuti eadem in materia naturali infra terram operatur formam; ſic & in vitro in materia propoſita & præparata. Cum enim materia ſit fundamentum ortus, igitur ſi undique rectè diſponitur, tunc eſt ſuſcipiens operationes & concipiens formam rei, ad quam materia eſt ordinata, ſic ut ſemper adſint influentiæ & operationes ſtellarum. Et ideò ars eſt ſolummodò, prę paratrix & habilitatrix materiæ, ſed natura de cætero in tali materia operatur formam, ut convenit: ſic ex duabus rebus prędictis efficitur tantùm una ſubſtantia tingens metalla in aurum, ſic quod talis ſubſtantia vera & recta anima & forma auri dicitur, & hæc neceſſitas eſt. Quapropter Plato poſuit aliquas formas ſeparatas, ubi putabat ſolummodò hanc formam conjungendam per Alchymiam ſuæ materiæ, h. e. materijs ſubtiliſſimis exiſtentibus in metallis imperfectis, tamen iſta forma, non recipit metalla totaliter, ſed ſolummodò ſubtiliſſimam & puriſſimam materiam, quæ conducit auro, derelinquens aliam materiam occultam. Et ideò Alchymiſtarum intentio non eſt ad aurum faciendũ,

ſed

sed tantummodò intendunt facere rem altiorem auro, videlicet tincturam, quæ est in actione ut forma auri. Et hæc forma etiam dicitur fermentum in respectu ad metalla imperfecta, quamvis aurum sit fermentum in respectu Mercurij ante dicti extracti. Et hic Mercurius & fermentum illius sunt unius naturæ; quia corpus penetrat Mercurium, & unitur cum eo, sic ut fermentum efficiatur spirituale, subtile & agile sicut Mercurius, & uniuntur tanquam aqua permixta aquæ. Sic quod in corpore occultum erat, manifestatur, & manifestum occultatur, pari modo ut cera liquefacta est unius naturæ cum dura, & econtrà dura cera cum liquida: & ex his duobus unum coagulum factũ est, simili modo, ut coagulum lactis coagulat solummodò in caseum partes lactis, quæ sunt de natura casei, & non totum lac coagulat in caseũ, sed solummodò aliquas partes: ita tinctura non omnes partes metallorum imperfectorum coagulat, sed solummodò has, quæ conveniunt cum auro, & quas solummodò tingit in aurum; & hæ partes aliud non sunt quàm argentum vivum purum, reliquas verò partes non tingit. Item sciendum si simili modo argentum vivum mundum & purum coagulatur illud est aurum & metallum perfectum: sed si sulphur solum congelatur, totaliter mortuum manet; cum verò sulphur & argentum vivum simul congelantur, illud est metallum imperfectum, & tale sulphur spoliatur &

separatur

ſeparatur ab ipſis metallis imperfectis, ſi ſaltem debeat fieri aurum. Et ſicuti natura tale ſulphur in ſuis mineris removet ab ipſis metallis imperfectis per longum tempus, ſic ars mediante tinctura illud facit in tempore brevi. Et ſi metalla imperfecta participant cum auro, videlicet per proprietates eorum in quibus conveniunt; quia vt aurum ſit malleabile & fluxibile, ſic & cætera metalla imperfecta faciunt : & hoc eſt ſignum propinquitatis ipſorum; & quantò propinquius rés conveniunt, tantò libentius permiſcentur, uniuntur & recipiuntur : eſt enim manifeſtum metalla cætera cum auro in vnum confluere compoſitum, quod aliæ res, vt lapides, ligna & herbę non faciunt: & hoc eſt certum ſignum propinquitatis naturæ auri & aliorum metallorum. Et ideò ars docet tranſmutare metalla imperfecta in aurum, & non alias res ut lapides &c. propter magnam differentiam inter naturam auri & ipſarum : imò maxima & miraculoſa eſſet tranſmutatio harũ rerum, ſi reducerentur in talem materiam, quæ reciperet tincturam & formam auri: & ſi iſta materia non reperiretur præparata in ipſis metallis imperfectis ipſa ars eſſet invalida omninò. Cum verò talem materiam habeat præparatam à natura in ipſis metallis imperfectis, igitur ars eſt poſſibilis, per quam & mediante natura poſſumus præparare formam & materiam illorum ex aliis ſpiritibus, quibus inſunt virtutes metallicæ per modum, ut ſupra ſcriptum eſt.

Et hoc dictum ſit documentum generale ingenioſis & veris Alchymiſtis, qui per ſubtilitates & tentamenta principiorum artis in eorum operationibus ſine dubio veritatem invenient, ſi ſupradictos articulos benè intelligant & in corde recondant.

F I N I S.

TRACTATUS
Duo
CHEMICI
singulares & breves

QVORVM

Prior est JOHANNIS Belye Angli.
Alter BERNHARDI Comitis Trevirensis.

His
Appendicis loco adduntur

1. Doctrina elegans de opere Philosophico, ex libro mſ. H. Aquilæ Thuringi.
2. Excerpta quædam ex Epistolis Eduardi Kellæi Angli.
3. Fragmentum ex Theoriis Johan. Isaaci Hollandi.

Omnia hactenus nondum edita.

Geismariæ, Typis SALOMONIS Schadewitz/
Sumptibus SEBALDI Köhlers.

M. DC. XLVII.

0235079

Tractatus Johannis

Belye Angli.

QUoniam grave est circa plurimas intentiones diversorum librorum semper desudare, præsertim cum opus Alchimiæ per philosophos tam diversimodè & singulariter sit promulgatum; ut vix tempore vitæ suæ sufficere quis valeat ad eorum lectiones explanandas & referandas; igitur ex mandato gratiosissimi Domini mei unicum capitulum ad sui utilitatem ex omnium philosophorum intentione sub unius sermonis serie eligere & segregare curabo.

Legitur quippe in Turba philosophorum, quòd quicquid veritatis constat in arte Alchimiæ, est jungere humidum sicco; & hoc ab omnibus philosophis conceditur. Per humidum intelligatis spiritum liquidum ab omni sorditie purgatum: & per siccum intelligatis corpus perfectum,

purum & calcinatum; & revera conjunctio istarum duarum partium constat penitùs in dissolutione & coagulatione. Dissolvere secundum philosophos est corpus in naturam spiritus reducere seu convertere. Coagulare est spiritum in naturam corporis reducere seu convertere.

Et sic corpus efficitur spirituale, & spiritus viceversa corporalis: & sic complentur dicta philosophorum, ubi dicunt; fiat fixum volatile, & volatile fixum. Et sic Dei gratia obtinebitis totum magisterium. Et scit Deus, quòd ista solutio nunquam potest fieri sine transmutatione elementorum: unde legitur in Turba: Convertite elementa, & quod quæris invenies. Et pro certo elementorum conversio nihil aliud est, nisi unius elementi in alterius naturam transmutatio. Philosophi certè dicunt, quòd in omni re creata sub cœlo sunt quatuor elementa in essentia, sed non in apparentia: dicunt etiam quòd sine quatuor elementis nulla res oriri possit, quamvis in diversis rebus diversa elementa dominantur, ut patet in lapide philosophico. Lapis noster, dicunt philosophi, componitur ex corpore & spiritu: corpora quæ pertinent

ad

ad compositionem lapidis sunt aurum & argentum, & certum est, quòd in illis corporibus plus abundat ignis & terra, quam aër vel aqua: in auro verè ignis dominatur præ cæteris elementis, & ideò continet in se rubedinem seu citrinitatem, & est in se corpus calidum; quemadmodum terra est secundum elementum abundans in auro, quæ est frigida & sicca, & ideò temperatur aurum, aliâs citrinitas auri penitùs converteretur in rubedinẽ, & sic esset corpus rubeum. In argento verò terra dominatur præ cæteris elementis, & ideò continet in se albedinem, & est corp⁹ frigidũ in se, aliquantulũ humidum, & aliquantulum siccum: quemadmodum ignis & aqua in argento sunt quasi æquè proportionis, & saltem aqua superabundat aliquantulum ignem: ergò argentum à philosophis judicatur corpus frigidum & humidum esse. Si enim aqua non superasset aliquantulum ignem in corpore argenti, tunc albedo converteretur in citrinitatem, & sic illud corpus esset propinquius naturæ auri quàm argenti. Insuper in spiritu nostri lapidis videtur, quòd aqua & aër domi-

nantur virtute præ cæteris elementis, & tamen aqua ſuperat aërem, & ideò ſpiritus non poteſt ex ſua proprtia virtute in ignis aſperitate quieſcere, quoniam aqua, ut ſatis notum eſt, ſemper contrariatur igni. Et ratio eſt quia per totum diſconveniunt in generibus elementalibus, quia ignis eſt calidus & ſiccus, aqua eſt frigida & humida; & ſic patet evidenter, quòd duo elementa dominantur in corpore noſtri lapidis, ſcilicet ignis & terra; & duo elementa dominantur in ſpiritu noſtri lapidis, ſcilicet aqua & aër. Igitur ſciant artifices Alchymiæ, quòd impoſſibile eſt ex ſolo corpore medicinam veram procreare ſine ſpiritu: & etiam impoſſibile eſt, de ſolo ſpiritu procreare medicinam veram ſine corporibus. Et ratio eſt iſta: qualitercunq; corpus fuerit præparatum per ſe, non poteſt ſibi propria virtute accipere fluxibilitatem, nec ſpiritus per ſe, qualitercunq; præparatus, poteſt à ſua natura alterari, nec perfectè figi ſine intermediatione corporis: neceſſariò autem oportet medicinam eſſe fluxibilem, unientem, tingentem, manentem, quod nequit omninò eſſe ſeu contingere ſine tempe-

temperantia elementorum; & ſine dubio illa temperantia elementorum nunquam contingere valet abſq; conjunctione corporis & ſpiritus: quoniam per eorum conjunctionem ſuppletur defectus elementorum, tam ex parte corporis, quàm ex parte ſpiritus; & ſic corpus efficitur ſpirituale & ſpiritus efficitur corporalis. Et hoc modo dictum eſt ſatis de fructibus elementorum, tam ex parte corporis, quàm ex parte ſpiritus, ut debitus inſequatur effectus ad medicinam componendam.

Jam videam⁹ de tranſmutatione elementorũ quomodo fieri debeat, ut illud quod eſt corporale efficiatur ſpirituale, & illud quod eſt ſpirituale efficiatur corporale. Et revera circa illam intentionem laborat tota ars Alchimiæ. Multùm igitur neceſſarium eſt unicuiq; volenti operari, omnia iſta ſcire; quoniam maxima expeditio totius artis procul dubio conſtat in cognitione tranſmutationis elementorum, de qua hic fiet ſermo uberior.

Quatuor ſunt quippe elementa, ſcil. aqua, terra, aër & ignis. Aqua eſt frigida & humida, terra eſt frigida & ſicca: aër calidus

lidus & humidus, ignis calidus & ſiccus. Et unumquodq; genus iſtorum habet locum vel motū in aliud, licet quodlibet elementum contrariatur alteri in parte vel in toto. Terra namq; non habet locum niſi in aqua, nec aqua niſi in terra, & tamen conveniunt in uno genere ſcil. in frigiditate, & diſconveniunt in aliis generibus ſcilicet in humiditate & ſiccitate, quoniam terra eſt frigida & ſicca, aqua frigida & humida. Ignis non habet locum proprium niſi in aëre & è converſo, & illa elementa conveniunt in caliditate tantùm, ſed diſconveniunt in ſiccitate & humiditate, quoniam aër eſt calidus & humidus, ignis calidus & ſiccus. Ideò videtur, ſicut dicit Morienus, quòd terra vivit de aqua, & ignis de aere, & videtur utiq; aquam participare cum terra in uno genere ſcil. frigiditate, & cum aëre ex alio latere, ſcil. in humiditate. Ergò patet, quòd aqua intermediat terram & aërem. Videtur etjam aër participare cum aqua in humiditate, & cum igne in caliditate; ergò aër intermediat aquam & ignem. Videtur etiam ignis participare cum aere in caliditate & cum terra in ſiccitate, & ideo aer intermediat

diat ignem & terram. Et sic palàm patet, quod unumquodq; elementorũ intermediat aliud, & quod nullum elementum potest in naturam alterius converti, quod est suum contrarium, nisi prius convertatur in elementum intermedians ipsum & suum contrarium. Ut si quis voluerit de aqua facere ignem ascendentem, quod elementum est illi contrarium per totum, quoniam aqua & frigidum & humidum elementum, ignis est elementum calidum & siccum, oportet ex aqua aerem facere, quod est elementum intermedians aquam & ignem, ut superiùs dictum est, quia oportet ut frigiditas aquæ convertatur in calorem, & tunc aqua convertitur in aerem, quod est elementum intermedians aquam & ignem, quoniam quàm cito frigiditas aquæ convertitur in caliditatem, tunc immediatè aqua convertitur in aerem. Deinde oportet humiditatem aquæ converti in siccitatem, tunc aqua convertitur in elementum sibi contrarium, quod est ignis. Et sic oportet, quod si quis de igne voluerit facere aquam descendendo oportet ut caliditas ignis convertatur

in frigiditatem: tunc ignis efficitur terra, quod est elementum intermedians terram & aquam, ex alio latere descendendo. Deinde oportet siccitatem ignis converti in humiditatem, & sic transit elementum ignis in elementum aquæ, quod est sibi contrarium. Et si quis artificum cupit terram in aquam convertere ascendendo, vel aërem in terram descendendo, oportet ut terra prius efficiatur ignis descendendo, & sic per elementi potestatem intermediantis unumquodq; genus elementale, mutari possit in aliud. Et certè nullus invenitur autorum, qui ponat ita planè aliquem sermonem de transmutatione elementorum sicut hic habetur. Quoniam illi autores, qui magis apertè loquuntur de elementorum transmutatione sunt, Phædus, Geber, Morien⁹, Senior, Calid, Albertus Magnus, Rex Marcus, Arnoldus de villa nova &c. & illi dicunt: Si quis artifex cupit de terra facere aërem, quod est elementum sibi contrarium, faciet primò agere humidum in siccum, & tunc terra convertitur in naturam aquæ, quod est elementum intermedians terram & aërem, per gradus

ascen-

ascendendo: tunc faciat calidum agere in frigidum, ita ut frigidum efficiatur calidum & siccum humidum, ut prædicitur: & sic terra, quæ est frigida & sicca, convertitur in aërem, qui est calidus & humidus. Et si quis cupit de aëre facere terram per gradus descendendo, oportet primò ut siccum agat in humidum, & tunc aër convertitur in ignem, quod est elementum intermedians aërem & terram, ex alio latere circulariter transcendendo. Deinde oportet ut frigidum agat in calidum, & sic transit aër in terram, quod est elementum sibi contrarium, & sic intelligendum est de aliis duobus elementis, scilicet de aqua & igne. Cum enim aqua transire debet in naturam ignis, oportet ut calidum primò agat in frigidum, & sic aqua transit in aërem, quod est elementum intermedians aquam & ignem per gradus ascendendo: deinde oportet ut siccum agat in humidum, & sic aqua transit in naturam ignis. Et si ignis converti debet in aquam, oportet ut frigidum agat in calidum & sic ignis convertitur in terram, quod est elementum intermedians ignem & aquam

per

per gradus deſcendendo. Deinde oportet ut humidum agat in ſiccum, ita ut ſiccum efficiatur humidum, & ſic tranſit ignis in naturam aquæ, quod eſt elementum ſibi contrarium. Et ſic patet, quòd quando unum elementum debet mutari in aliud elementum ſibi contrarium, oportet omninò ut tranſeat per unum elementum, quod intermediat ipſum & ſuum contrarium. Ergò videtur unumquodq; elementum in ſe habere quatuor qualitates, duas activas & duas paſſivas: Ergò unumquodque elementum per ſuas qualitates activas habet agere in ſuum contrarium, videlicet ſi elementum fuerit frigidum & ſiccum, ſcilicet terra, tunc habet agere in humidum & calidum ſicut in aërem, & è contra per ſuas qualitates paſſivas habet pati ſuum contrarium in ipſum agere, ſcilicet illud quod eſt calidum & humidum, quod agat in illud quod eſt frigidum & ſiccum: Et ſic circulariter debet intelligi de aliis elementis. Et ſine dubio iſta eſt vera intentio philoſophorum, & videbatur eis ſatis eſſe dictum, quoniam ipſi non ſcripſerunt ſuos libros, niſi ſuis filiis ſpecia-

ſpecialibusque amicis, nec curam habuerunt, an eorum dicta fuerint patefacta vel non: augebo igitur intellectum gratioſiſſimi domini mei de elementorum tranſmutatione ſecundum quod expertus ſum, & volo vobis indicare veras veriſſimas & certas certiſſimas elementorum tranſmutationes ſine aliqua obſcuritate, quæ ſic fiunt.

℞. De ſpiritu mundato per modum ſublimationis, ut multoties vobis ſcripſi, partes 2. vel 3. de corporis limatura optimè calcinata partem 1. & amalgamentur benè triturando donec fiat unum, & fiat ſubſtantia fluxibilis, ita ut ſubſtantia verè ſit converſa in ſpiritum. Et ecce ſi velitis diligenter obſervare, patebit vobis palàm, quòd ibi eſt vera tranſmutatio elementorum duorum. Quoniam memini me dixiſſe in exordio iſtius capituli, quòd duo elementa dominantur in corporibus ſcilicet ignis & terra: & dixi quòd in ſpiritibus dominantur duo elementa cilicet aer & aqua: modò videtis quòd per artis ingenium corpus efficitur ſpiritus: & ſic patet, quòd

natura

natura ignis & terræ, quæ dominantur in corpore, ſubjungitur domin ationi aëris & aquæ, quæ quidem elementa dominantur in ſpititu, & ſic perficitur prima tranſmutatio duorum elementorum, quæ dominantur in corpore in naturam duorum alioru melementorum, quæ abundant in ſpiritu. Deinde per crebram trituratio-nem & ſub fimo equino putrefactionem illud trituramus, & tractando de 8. in 8. diem ſemper iterum ſub fimo equino ad putrefaciendum ponimus, & id regimen continuamus donec tota materia conver-ſa fuerit in nigredinem ſeu pulverem ni-grum, quod magis planè eſt dictum: & quòd materia ſit pulvis niger colore, ſub-tilis in tactu, & odore fœtido: & ſic obti-nebitis tranſmutationem duorũ elemen-torum, quæ abundant in ſpiritu, in natu-ram duorum illorum quę abundant in cor-pore. Quoniam frigiditas & humiditas abundans in ſpiritu mutatur in caliditatem & ſiccitatem abundantem in corpore: & ſic corporale fit ſpirituale, & ſpirituale vi-ceverſa efficitur corporale. Et procul du-bio illa elementa ſic digeſta, alterata & tranſmu-

transmutata non permittunt se ab invicem separari per artis ingenium, & è contra uniri ita, ut ignis nequeat ea separare; sed oportet illam unitionem fieri mediante fermento novi corporis præparati, sicut quàm pluries satis manifestè Domino meo scripsi. Et ista est vera philosophica elementorum transmutatio, & humidi & sicci vera conjunctio. Sed absit ut istud capitulum esset divulgatum, seu quòd sciretur communiter, nam vera ars esset ita levis in se sicut est: quoniam tunc cessaret studium & scientiarum acquisitio, & superbia & invidia regnarent, & alia mala plurima. Et sic jungendum est humidum sicco, more transmutationis elementorum, & duo regimina scilicet solvere & coagulare, sic habent terminari ut corpus efficiatur spiritus per modū solutionis, & ut spiritꝰ viceversa efficiatur corpus per modum coagulationis, ut corpus ex potestate spiritus acquirat sibi fluxibilitatem & spiritus ex corporis potestate acquirat sibi fixitatem. Et sine dubio in ista conclusione constat perfectio totius operis.

DEO GRATIAS.

Tracta-

Tractatus singularis

Bernhardi Comitis Trevirensis de lapide philosophorum, ex Gallico Latinus factus.

DEsideria & spes longas in arte Alchymica philosophantium agnoscens, volui in præsenti tractatu breviter & apertè artem hanc declarare. Primò igitur sciendum est subjectum artis, secundò ejusdem fundamentum, tertiò progressus, quartò & ultimò extractio elementorum, quibus cognitis unusquisq; facilimè ad artis complementum pervenire poterit.

Subjectum hujus admirandæ scientiæ est Sol & Luna, seu potiùs mas & fœmina. Mas calidus est & siccus, fœmina verò frigida & humida, & pro certo scias, quòd lapis noster non componatur ex alia re quapiam, licet plurimi philosophi plures res nominent, de quib⁹ sophisticè loquuntur. Nihilominus à Scoto, ab Hortulano, à S. Thoma & Christophoro Parisiense aliisque quam plurimis, res per plures aliam ob causam

cauſam ſophiſticè annumerantur, ut ignorantes decipiantur, quia ſtultis non convenit ſecreta noſtra ſcire. Atq; hoc illud eſt, quod de ſubjecto artis noſtræ pro tempore proponere neceſſarium duxi.

Fundamentum artis eſt cognitio quatuor qualitatum, & quòd in principio operis frigiditas & humiditas prædominium habeant. Nam, quemadmodum Scotus dicit, ſicut Sol abundantiam aquæ in locis pæluſtribus & ſtagnantibus deſiccat, eodem planè modo ſulphur noſtrum, quando in aquam ſuam ſive Mercurium immititur, paulatim eandem ignis adjumento conſumit & abſorbet, idq; Dei unius vivi qui in trinitate regnat, adjutorio.

Progreſſus non eſt aliud, quàm actio quædam contraria: deſcriptio enim rerum contrariarum una & eadem eſt, & ſi bis hanc æqualitatem feceris, totum progreſſum finies.

Nunc verò omnis ſubtilitas conſiſtit in extractione elementorum: qua propter hoc quod ſequitur tamdiu relege, donec id capere ſive intelligere queas; & ſcias neminem unquam tam apertè locutum

quàm ego in hoc loco, quod experieris ex ſequentibus: Deo itaq; Opt. Max. gratias age & gratus ſis amico, qui hunc tractatum tibi communicavit: vivas etiam ſecundum Deum & rationem, quoniam in animam impiam non intrabit ſapientia divina, neq; in corpus peccatis ſubjectum.

Extractio elementorum eſt compoſitio quædam nigredinis, albedinis, citrinitatis & rubedinis. Et ſcias naturas ex ipſarum radice debere extrahi. Radix autem eſt quædam congregatio elementorum, conſiſtens in ſulphure & Mercurio, quam maſſam confuſam nominant. Naturæ verò, quæ ex radice extrahuntur, ſunt ſulphur & Mercurius, quæ cum ſint conjunctæ, disjunguntur, & purificantur, ut eò meliùs deinceps poſſint miſceri & uniri cum corpore, ex quo ſunt extractæ. Et poſtquam colores tranſierint, & ſuperius factum ſit ſicut id, quod eſt inferius, & inferius ſicut id quod eſt ſuperius, miracula inde prodibunt. Quo facto habes triangulum in quadrangulo, & quintum quod continetur in quatuor.

Super-

Supereſt nunc multiplicatio, in qua hoc breviter notandum eſt, Elixir nimium iiſdem rebus, ex quibus ab initio compoſitum eſt, nutriri debere. Nullus philoſophantium antehac hoc ipſum tam apertè declaravit, quàm ego in hoc loco feci; idq; factum eſt duas ob cauſas; quarum prior eſt, quòd à principio uſq; ad finem operis longum requiratur tempus, etiamſi nonnulli philoſophi dicant, lapidem poſſe perfici in unico die, nonnulli verò in unico menſe. Scias autem ipſos loqui ænigmaticè, & quòd eorum verba non debeant hoc modo intelligi. Nihilominus cum Scoto loquens dico, lapidem ſive opus perfectum unico anno poſſe fieri. Altera verò, quia vita humana brevis eſt, & homo ſeneſcit, priuſquam quid in compoſitione lapidis facta opus ſit, comprehendat & intelligat. Et propterea tam apertè hic omnia explicavi, quò minùs ſcientia hæc tam nobilis deperdatur & intereat.

Theorica ejusdem.

VEnerabili utimini natura; nam philosophi ex propria authoritate diversa nomina huic naturæ imposuerunt, propter diversos colores in alteratione ipsius apparentes. Cum enim sub forma aquæ apparet, illam appellaverunt argentum vivum, aquam permanentem, plumbum, spiritum, sputum Lunæ, stannum &c. Et quando deficcatur & albescit illam nominarunt argentum, magnesiam & sulphur album. Et quando rubescit, eandem vocant aurum & fermentum. Sed in re non variant, cum illa semper sit unica sola, & eadem materia & ejusdem semper naturæ, in qua nihil ingreditur, quod non sit extractum ab ea, & hoc quod ipsi proximum & de sua natura est. Atq; hoc verissimum est, nempe lapis unus est, & medicina una, estq; aqua clara & lucida, permanens, pura, & clara, coloris cœlestis. Et si aqua non intraret medicinam nostram, non posset sese purificare nec emendare, unde & desiderium tuum non obtineres: illud autem quod emendat

mendat eſt Sol, quoniam aqua non poteſt emendari ſine ipſo: nam abſq; Sole & umbra ipſius non poteſt generari venenum tingens. Quicunq; igitur putaverit tincturam fieri poſſe abſq; his duobus corporibus, ſcilicet Sole & Luna, ille ad practicam inſtar cœci accedit. Corpus enim non agit in corpus, neque ſpiritus in ſpiritum: nec forma ſuſcipit impreſſionem à forma, nec materia à materia, cum ſimile in ſuum ſimile neq; actionem neq; paſſionem exerceat: alterum enim altero dignius non eſt, unde actio inter illa eſſe non poteſt, cum ſimile ſimili non imperet. Sed corpus recipit impreſſionem à ſpiritu, ſicut materia à forma, & ſpiritus à corpore, quoniam facta & creata ſunt à Deo, ut agant & patiantur invicem. Materia quidem flueret infinitè, ſi forma fluxionem non tardaret & ſiſteret. Quapropter cum corpus ſit forma informans, informat & retinet ſpiritum, ut ille deinceps non fluat amplius.

Corpus igitur tingit ſpiritum & ſpiritus penetrat corpus, cum corpus penetrare nequeat aliud corpus, ſed ſubtilis ſubſtan-

tia ſpiritualis congelata penetrat & colorem dat corpori. Atque hic lapis ille eſt gummoſus & oleaginoſus, proportionatus in naturis, continens naturam ſpiritualem occultè in ſeſe unà cum elementis depuratis. Reducendus eſt itaque lapis philoſophorum totaliter in hanc gummoſitatem per ultimam iterationem ſive inceratione fluxus cujuſdam levis, reſolvendo omnia elementa, ut inſtar olei fluant. Cum verò lapis eſt, inſtar cupri apparet, cum tamen ſit ſubſtantia quædam ſpiritualis, ſubtilis, penetrans & omnia corpora metallica colorans ſeu tingens.

Hinc facilè conjicere poteris, quòd hoc non procedat de craſſitudine & groſſitie terræ, ſed à ſpirituali metallica ſubſtantia quæ penetrat & ingreditur. Quare reſolvere oportet corpus in ſpiritum ſubtilem & metallicum, & deinceps eum congelare & figere, retinere & incerare, ut priùs fluere quàm tingere poſſit. Aurum enim nihil colorat præter ſeipſum, niſi prius ſpiritus proprius ex ventre ipſius extractus fuerit, & factum ſit ſpirituale.

Et

Et ſcias quòd aqua noſtra mercurialis ſit viva, & ignis adurens, mortificans & reſtringens aurum plus, quàm ignis communis. Et propterea quantò meliùs cum eo miſcetur, fricatur & teritur, tantò plus ipſum deſtruit, & aqua viva ignea plus attenuatur. Verùm cum jam tria facta ſunt unum in forma congelatæ ſubſtantiæ, tunc habet in ſe veram tincturam, quæ ignis violentiam ferre poteſt. Quando itaque corpus ſic tinctum eſt, poteſt aliud tingere, & habet in ſeſe omnem tincturam & dotem. Et hinc omnes illi qui tingunt cum ſole & ſua umbra, ſcilicet veneno hoc eſt argento vivo, noſtrum lapidem perfectè abſolvunt, quem nos appellamus gummi magnum & perfectum. Et certò ſcias non eſſe neceſſarium, ut lapis noſter ſive gummi perdat naturam ſuam primam. Mercurialem in ſublimatione crudi & primi ſpiritus: oleum enim & gummi huic lapidi pertinentia nihil aliud ſunt, quàm ipſa elementa mercurialiſata & inſimul anatiſata, clauſa & coagulata, reſolubilia & viva, in viſcoſitate

terræ oleaginoſæ retenta ſeu ligata, & inſeparabiliter mixta. Scireq; debem⁹, quòd gummi illud ſive oleum ſit ex corporibus primò extractum, quo inſerto reducitur in ſpiritum, quouſq; humiditas ſuperflua aquæ in aërem convertatur, extrahendo elementum ex elemento per digeſtionem, donec forma aquæ convertatur in naturam olei, & ſic lapis noſter in fine nomen. gummi & ſulphuris obtinet.

Quicunq; verò lapidem hucuſq; perduxerit, ut inſtar gummi permixtibilis appareat & omnibus corporibus imperfectis ſeſe miſceri patiatur, ille mehercule magnum naturæ ſecretum invenit, quoniam lapis iſte perfectus, gummi & ſulphur eſt.

Cum verò lapis hic ex corpore & ſpiritu, ſive volatili & fixo componatur, idq; propterea fiat, quòd nulla res in mundo generari & in lucem produci poſſit ſine hiſcè duabus ſubſtantiis, nimirum mare & fœmina: unde patet, quòd licet hæ duæ ſubſtantiæ non ſint unius & ejuſdem ſpeciei, tamen unus inde exurgit lapis, & quamvis appareant dicanturq; duæ ſubſtantiæ, unica tamẽ revera eſt, ſcilicet argentũ vivum.

Verum

Verùm hujus argenti vivi pars quædam fixa & cocta est, masculina, calida, sicca & secretè informans. Altera verò volatilis & cruda, quæ fœmina est, frigida & humida; & ex hisce duabus substantiis totum facilè cognosci, & totus lapis integrè percipi potest. Quare si lapis noster ex unica tantummodo constaret substantia, in eo nulla fieret actio, & nulla passio adinvicem; nam unum alterum nec tangeret nec appeteret, nec ingrederetur, uti lapis & lignum nullã habent insimul operationem, cùm constent ex diversa materia, & hinc nullo modo ne minimùm quidem permisceri possint; atq; eadem est ratio omnium rerum materiâ differentium. Quapropter evidens & certum est, necessarium esse, quòd agens & patiens sint unius & ejusdem generis, sed diversæ speciei, quemadmodum homo differt à muliere. Nam etiamsi in uno eodemq; genere conveniant, nihilosecius tamen diversas habent operationes & diversas qualitates, uti materia & forma. Materia enim patitur, & forma agit assimilans sibi materiam, & hac ratione materia naturaliter appetit formam, uti mu-

lier appetit maritum, & res vilis charam impura puram, ſic etiam argentum vivum appetit ſulphur, uti imperfectũ perficiens: Sic quoq; corp⁹ libenter appetit ſpiritum, quò poſſit ad ſuam perfectionem tandem pervenire. Cognoſcito igitur radices naturales & meliores, cum quibus debes reducere materiam, quò poſſis opus tuũ perficere. Lapis n. hic benedictus habet in ſe omnes res neceſſarias ad ſuã perfectionem.

Practica Comitis Trevirenſis.

SI nos magni illius in Alchimia philoſophi Morieni verba benè conſideremus, qui dicit, aquam, terram, aërem & ignem debito pondere ſimul miſceto, & procul dubio ad omnia huj⁹ divinę ſcientię ſecreta pervenies. Et primò, quando dicit, impone aquam, ſive putrefac terram in aqua, hoc nihil aliud ſignificat, quàm extractionem aquæ ex terra, & affuſionẽ aquæ ſuper terram, eouſq; donec terra putreſcat & mundificetur, aliâs enim non proferet fructum ſuum. Secundò quando dicit, miſce aquam & aërem, aliud nihil eſt quàm ſi diceret, miſce aquam jam præparatam cum aëre ſoluto, aut conjunge & commiſce aërem ſolu-

tum

tum cum aqua. Judicate vosmetipsi: Scitis enim quòd aër sit çalidus & humidus, & habetis dictum Morieni de dissolutione aëris, terræ, ignis & aquæ. Nonnulli quando loquuntur de dissolutione, dicunt solutionem ignis esse meliorem, quoniã quicquid dissolvitur in igne, illud ipsum defluit in aëre. Et nota quòd philosophorum ignis non sit res alia, quàm aër solutus & congelatus. Hoc poteritis ex similitudine melius comprehendere, & ponite, quòd primò habeatis aërem solutum & congelatum, cui adjicite ignem: Terra debet esse priùs præparata, & ignis solutus, antequam misceantur.

Terra etiam unà cum igne in aptum vas conjici debet, & postea introducendus ignis inextinguibilis nucum, qui cum super terram descendit, totum unà cum suo gummi devorat, & in suam naturam convertit. Quapropter, si dicta & præcepta philosophorum benè consideretis & intelligatis sensum mysticum, ad omnia divinæ artis Alchymicæ secreta pervenietis.

FINIS.

Elegan-

Elegantia quædam de opere philoſophico, quæ appendicis loco adduntur.

Doctrina ſingularis ex libro mſ. H. Aquilæ Thuringi.

SCias per Deum rem eſſe unam de illis, quæ ſunt ſeptem planetarum, & viliorem eorundem, ex cujus corpore elicitur ſanguis viridis leonis, aqua vitæ & multis aliis nominibus vocata. E dicta aqua creatur terra, quæ dicitur ſulphur vivum, calx corporis Solis & Lunæ & aliorum corporum. In illa terra eſt ignis & in aqua eſt aër, & terra putreſcit cum aqua ſua, donec poſſint ab eis ſeparari quatuor elementa.

Sufficit ad complementum Elixiris aquam à terra ſeparare, & terram tractare per calcinationem, & aquam rectificare per circulationem & iterum conjungere & coagulare ut præmiſſum eſt. Unde quando legis in libris philoſophorum, accipe hoc vel illud, ſemper de hoc lapide intellige, vel de ejus partibus ſeparatis: velut

cum

cum dicit: accipe arſenicum, tu intellige ignem lapidis: pro ſulphure aërem, & quandoq; ignem: pro ſale armoniaco non ſoluto terram; & armoniaco ſimpliciter, aërem: pro Mercurio aquam, & Mercurium quandoq; per ſe; & hæc intellige & retine. Pro Mercurio ſublimato intellige aquam exaltatam cum calce ſua, quę congelari debet in ſalem, qui dicitur Salpetræ & ſulphur Bacconis, quod congelat omnem Mercurium, quia non eſt ſulphur vulgi. Quoties igitur in philoſophis legis, Accipe Mercurium, cave ab argento vivo: ubi ſulphur, cave ab arſenico & ſulphure vulgi; ubi plumbum philoſophorũ, cave à vermilione; ubi leonem viridem, cave à vitrido & cupro: ubi Solem, cave ab auro; ubi Lunam, cave ab argento vulgi. In ablutione cave à ſalibus & aquis corroſivis non metallicis (quia metalla ipſa dicuntur corroſiva) In ſublimationibus cave ne aliquid miſceas extranei cum lapide: in deſtillatione cave ne cutem excipias: In calcinatione ne extrahas humorem: in projectione ne de immundo comedas. In opere ſemel vas pone, ſemel aperi, ſemel claude, quod amplius

plius est à malo est. Cave ne lapidem mittas in acervum Mercurij, quod Salomon redarguebat in libro proverbiorum. Est enim lapis unus, medicina una, sub nominibus mineralibus occultata: opus unum multipliciter variatum; quod si habueris, ne venale facias, sed opereris in loco secreto, ne veniat ad notitiam alicujus, ne fortè scandalizeris, & patiaris judicium ab hominibus, vindictam à Deo: nam si quis artem venalem fecerit, non diu portabitur in hac vita: est enim potiùs divinum quàm humanum verum Elixir, quod Deus non communicavit nisi dignis. Observa igitur doctrinam meam, ut metas manipulos Solares & Lunares, & de operibus manuum tuarum manduces, & ducas vitam tuam feliciùs ad Dei laudem & honorem, tuiq; utilitatem, memor semper Psalm: Divitiæ si affluant noli cor apponere: sit autem cor in Deo positum, qui plus est, quàm omnia quę in mũdo sunt. Et sit ipse tibi divitię in thesauros, qui non veterascunt, sed in æternam vitam permanent, quam nobis concedat is, qui sine fine vivit per omnia secula seculorum, Amen.

Ex

Ex epistola Eduardi Kellæri Angli data Trebonæ 20. Junii anno 1587.

INterim cum tuum ad nostrum accommodasti consilium, quod experimento proprio accepi, arcanum tibi ex parte depingam, ne fortassis tibi colono pœnitendus sit ager. Arrige ergò aures. Aurum & argentum, sol & luna, agens & patiens nostrum non est illud, quod manibus palpatur, sed aqua quædam argentea & aurea, hermaphrodita, quam si à corpore perfecto & imperfecto metallico à natura extraxeris, aquam vitæ, asam fœtidam & viridem habebis Leonem, in quo omnes sunt colores, terminati duo, Albedo & Rubedo. De terra non est curandum, modò (ut Guido affirmat) sit fixa: nam super omni re fixa fit Elixir. Et hoc maximè cave, si verè in antiquissima & nobilissima philosophia versari debeatis, ne aliquid aliud cogites, nisi de terra fixa & aqua metallica permanente: neq; hæc quæras in auro & argento, vel in terminato aliquo composito. Verum tamen est, quòd separata tinctura ab auro figitur aqua illa permanens in terra ejus alba, sed frustra fit per plura, quod fieri potest per pauciora.

Ex epistola data ibidem 9. Aug. anno 87.

Concludunt philosophi omnes lapidem nihil aliud esse, quàm argentum vivum animatum: hoc verò argentum vivum nisi fuerit animatum, non est de intentione illorum. Similiter si in forma Mercuriali erit, antequam animetur, pro certo habeas nihil ad rem esse. Nam fœmina illa (ut tibi planè & plus quàm apertè dicam) est aqua viscosa, extracta ex visceribus Iovis ex albo nimirum plumbo, quæ humida & digitum madefaciens est, cui si corpus Solis adjungetur debito pondere, protinus congelatione nitescet & Sol in limpidissimam aquã mineralem dissolvetur. Aqua enim uno eodemq; momento solem dissolvit, qua dissolutione congelatur aqua: sicq; dissolutio unius erit coagulatio alterius uno instanti. Hoc compositum est Mercurius animatus, ex quo solo crescunt omnes colores; erit enim æs tinctum. Regere verò in igne, nihil aliud quidem est nisi ludus puerorum. Facta conjunctione non differt visu à Mercurio limpidissimo, neq; digitum humectat sed viscosa & viva extat.

Ex

Ex literis ejusdem de 15. Nov. 89.

UTrumque luminare habes, optimamq; à me, si recordaberis, de ijsdem instructionem. Et ut unico tibi verbo multa dicam, Aquam aquæ misceto, & vaporosa nube digerè, sicq; haud facilè errabis.

Ex theorijs Johan. Isaaci Hollandi fragmentum.

RErum omnium à Deo conditarum prima fuit aqua, cui Deus terram suam propriam imposuit, atq; ex terra quicquid essentia aut vita præditum est ortum habet. Sunt itaq; duo elementa manifesta, aqua scilicet & terra, in quibus duo reliqua occulta latent, scilicet ignis in terra & aër in aqua, atq; ita colligata sunt, ut separari nequeant. Duo eorum fixa sunt, videlicet terra & ignis, duo verò volatilia, aqua & aër. Quodlibet igitur elementum cum duobus aliis symbolizat. Adhæc cuilibet elemento insunt duo elementa, alterum caducum, putrescens, combustibile; alterum verò æternum & incorruptibile, ut cœlum. In his insuper naturis alia latent adhuc, quæ fœtidarum fœcum nomine appellantur, quæ reliquarum vi-

res tollunt & impediunt, ita ut parum, aut nihil habeant, ac reliqua elementa inde fœtida & putredini obnoxia reddantur.

Sunt etiam duo aquarum genera, alterum elementalium, alterum verò pluviatilium aut fluviatilium. Quemadmodum & duo sunt terrarum genera, alterum clarum, lucidum, album, elementale; alterum nigrum, fœtens & combustibile: sicut & duo sunt ignes, alter elementalis & physicus, perpetuus; alter fœtidus & combustibilis: idem quoque de aëre dicendum. Hæc verò ignobilia ita reliquis permixta sunt, ut statim omnia corrumpantur, ita ut nihil diu durare possit, cum illa mortem invehant, naturamq; omnem, quantumvis nobilem, labefactent. Hoc de omnibus rebus intellige, tum vegetabilibus, tum animalibus, tum mineralibus. Oportet igitur elementalem naturam à corruptibili natura arte secerni, ut res ad vim medicatricem adduci possit.

Tres sunt spiritus in omnibus rebus subtilissimi, scilicet color, gustus, & odor, hi invisibiliter evolant: philosophi spiritus agrestes eos vocarunt, quòd fixibiles non sint; industria tamen artificis eos figere potest. Crescunt autem semper in corporea substantia, donec ad perfectionem

nem & finem pervenerint. Sumenda est igitur herba, cum jam plenè excreverit, & cave ne quem ex his tribus ſpiritibus perdas, ut ſolent ignari ſuis putrefactionibus & elementorum ſeparationibus. Nullus autem eorum ſpirituum ex tribus elementis elementalibus est, ſed Deus elementa his tribus ſpiritibus ornavit; estq; eorum anima, ignis, aër, aqua elementales. Nemo niſi Deus ea ab invicem ſegregare poteſt, ſed ab eis ſeparari poteſt aqua nubium. Poſſunt etiam ſeparari omnes fæces, quæ ipſis admixtæ ſunt, quæ ſunt fœtida & corruptibilia elementa, atque adeò quatuor elementa elementalia ad ſplendorem cryſtallinum adduci, ſed hæc tria elementa, ignis, aër, terra ſunt inſeparabilia. Scias fili Mercurium eſſe primum omnium rerum: antequam enim tempus eſſet, erat aqua, & ſpiritus Domini incumbebat ei. Quænam erat aqua illa, nubium nè aut humida quæ effundi potuerit? nequaquam: ſed fuit aqua ſicca & pulverulenta, atq; ei Deus terram ſuam impoſuit, quæ ſulphur illius est, ita ut terra aquam congelarit; ac inde orta ſunt quatuor elementa, his duobus incluſa Dei voluntate. Itaq; Mercurius ſulphur congelat, & ſulphur Mercurium, nec poteſt horum alterum ſine altero eſſe: itaq;

nec sine sale esse possunt, quod est præcipuum medium, cujus ope natura omnia vegetabilia, mineralia & animalia gignit & producit. Quamobrem hæc tria, Mercurius, sal, & sulphur alia sine alijs esse non possunt, ubi unum reperitur, ibi & reliqua reperiuntur: nec quicquam est in rerum natura, in quo hæc tria non reperiantur, ex ijsq; tribus, quicquid in rerum natura est, ortum habet, atq; ita quatuor elementis, mixta sunt, ut corpus unum constituant, mergiturq; sal in profundo elementorum. Oportet enim ut ea Sal suo acumine unita retineat & sua succitate. Est tamen (sal) spiritus & est volatilis, sed quoniam mixti profundo adhærent, vincituq; à pinguedine & oleo adustibili, in quo reperitur, quemadmodum vitellus in ovi albumine, ac oleum combustibile ex terra vivit cùm sale & fœcibus, estq; sal sepultum in imo fœcum olei combustibilis & terræ, ideò à terra evolare nequit nisi magna vi ignis. Hi autem tres spiritus, de quibus egimus, primùm à mixtione elementorum separari debent, quæ omnium rerum est anima, aut eorum qninta essentia, quæ totam elementorum mixtionem simul retinet; quando spiritus exierunt, tum per se solvitur & dividitur mixtum, nec opus

est

est igne ad sal à terra expellendum. Cùm elementa à fœcibus separantur, tum unà separatur sal; est autem hoc sal ignavis incognitum. Sal igitur medium est inter partes suas crassas, terreas, & tres spiritus volatiles quiescentes in calore naturali, scilicet gustum, humidum odorem & colorem, quæ tria sunt vita, anima aut quinta essentia omnium rerum, neq; possunt hi tres spiritus alij sine alijs esse, sunt enim unum. Rident ignari nec agnoscunt tres istos spiritus cum ad partes crassas, terreas & fixas colliguntur ac subtiliantur, eisq; sal iungitur ac miscetur, oportet ea invicem traducere, & in corpus unum crystallinum diaphanum rubro colore figere, qua de re inferiùs erit sermo. Qui sal non novit, nihil unquam in arte præstabit: philosophi hoc sal aquam siccam vocarunt, & sal animalium, ignari verò putarunt eos Mercurium innuere. Philosophi enim tres spiritus Mercurium vocarunt, terram verò sulphur, quod ignaros latuit: quodlibet ex illis sine alijs esse non potest, nec quicquam est in rerum natura, in quo hæc tria non sint, & ita quatuor elementis mixta; ut mixturam & corpus unum efficiant.

In his tribus lapidibus quicquid creavit Deus inest, quamobrem possunt omnia, arte à philosophis

losophis tradita, in crystallinam claritatem reduci. Vltimis enim diebus, Deus impuras fæces & corruptionem omnem in elementis existentem separabit, eaq; in crystallinam serenitatem adducet & carbunculi ruborem. Posteà nulla ampliùs erit corruptio, sed in æternum durabunt. Putasnè ea omnia quæ Deus creavit in his inferioribus ultimis diebus interitura? nequaquam, ne pilus quidem minimus eorum quæ Deus creavit, non magis quàm cœlum incorruptibile; sed Deus voluntate sua omnia mutabit, & crystallina reddet, eruntq; in se quatuor elementa perfecta, simplicia & fixa, eruntq; omnia essentia quinta. Hæc autem etiam in hoc terrarum orbe arte demonstrari potest. Quicquid enim Deus creavit ad crystallinam puritatem perduci potest, elementaq; simul in substantiam simplicem & fixam colligi: quo facto nemo ea alterare poterit, neq; ignis quidem ipse adurere aut immutare, sed manebunt in perpetuum, utpote quæ æternitatem assequuta sint.

FINIS.

FRATRIS FERRARII

TRACTATUS CHEMICUS excellentiſsimus,

HACTENUS

In principio et fine pluſquàm dimidia parte mutilatus, & corruptiſſimè ſub corrupto Efferarii Monachi nomine aliquoties publicatus,

NUNC

EX MS. EXEMPLARI Dn. NICOLAI MAII, Auguſtiſs. Imperatoris Rudolfi ſecundi &c. quondam Conſiliarij, integritati reſtitutus & philoſophorum filiis ſincerè communicatus.

Geiſmariæ, Typis SALOMONIS Schadewitz.

Sumptibus SEBALDI Köhlers.

M. DC. XLVII.

CETERA QUOD

TRACTATUS CHEMICUS EXCELLENTISSIMUS FRATRIS FERRARII AD DOMINUM PAPAM DESTINATUS.

AD ſanctitatis veſtræ apicem in hac re, quam quæritis, veram declarationem ad ejuſdem conſolationem & delectationem, Ego Fr. Ferrarius S.V. minimus, hoc breve ſcripſi opuſculum, in quo nihil aliud quàm ex dictis philoſophorum extractum inſerui; ſequens præcipuè dicta Gebri philoſophi, in hac arte pretioſa ſummi, ut ſumptus infructuoſi & vani, & perſonarum labores evitentur inutiles. Et ne aliqua ſub dubio relinquantur, primò ponentur aliqua impedimenta, quibus in opere, ne verum adipiſcatur finem, artifex impeditur, ponendo etiam ea, quæ oportet artificem hujus artis habere in ſe. Secundò rationes illorum, qui hanc artem propter ſu-

am ignorantiam & impotentiam ſophiſticè interimunt, & eam ponunt non eſſe, & rationes eorundem oſtenduntur nihil veritatis habere. Tertiò tractabitur de principiis naturalibus hujus nobiliſſimæ rei, & de modo compoſitionis eorum ad invicem. Quartò agetur de effectibus eorundem. Quintò ſubſequitur de principiis artificialibus hujus rei, quibus mediantibus hęc res excellentiſſima perficitur. Sextò inſtrumenta ſive vaſa in quibus hæc res perficitur.

De primo dico, quòd qui non habet ingenium naturale, & intellectum perſcrutantem ſubtiliter principia naturalia & naturæ fundamenta ſuper naturam generationis & mixtionis eorum & artificia, quæ conſequi naturam poſſunt in proprietatibus ſuæ actionis, non inveniet hujus pretioſiſſimæ ſcientiæ veram radicem. Sunt quidam qui duram cervicem habent, & omni perſpicacitate vacua ingenia, qui vix communem intelligunt rationem, & opera vulgo communia ſimiliter cum difficultate diſcunt.

Multos etiam videmus facilem habentes

tes animam opinantes quamlibet phantasiam, secundum quam credunt verum invenisse, & phantasticum est totum & à ratione devium & errore plenum, & à principiis naturalib⁹ semotum, quoniam eorum caput repletum multis fumositatibus percipere non potest veram intentionem rerum naturalium. Invenimus etiam quamplures qui nobilem habent intellectum de opinione in opinionem, & de voluntate in voluntatem, sicut qui modò credunt hoc, & volunt illud sine rationis ullius fundamento; post illud verò parum & aliud credunt, similiter & aliud volunt: & hi tam mobiles sunt ut vix minimum ejus, ad quod tendunt, possint aut valeant consummare, sed diminutum potiùs relinquunt. Sunt & alii qui contemnunt istam scientiam, & eam esse non putant, & ponunt rationes Gebri & aliorum, quibus ista scientia non possit esse, nec habere aliquam veritatem, ideò restat secundum, quod promisi, dictas rationes interimere, & manifestè demonstrare nihil veritatis cõtinere. Sed ea quæ adhuc oportet artificem in se

habere hujus artis, & poſt aſſumo Gebri capitulum quaſi in forma, qui quæ omnes homines inſtruit cautelis certis ſibi ſervandis, ut periculum vel ſcandalum non incurrant, & aliqua apponendo ſc. viſa & æqualiter experta. Pater ſancte, oportet artificem hujus operis in ſcientiis philoſophiæ naturalis eſſe eruditum & perfectū. Quoniam quantumcunq; ingenium naturaliter profundum in hoc artificio quis habuerit, non tamen ipſius acquirit finem, niſi ex doctrina philoſophiam naturaliter adeptus fuerit, quia ut dicunt philoſophi, quod per ingenium naturale quis non adipiſcitur, huic defectui per doctrinam ſubvenitur. Oportet etiam altiſſima perſcrutatione artificem juvari, quia quantumcunq; per doctrinam ſcientiam acquiſiverit, niſi ab induſtria juvetur naturali, ad epulas tam pretioſas non invitabitur, hoc eſt ad utilitatem iſtius nobiliſſimæ ſcientiæ non perveniet. In puncto enim errorē ſuum emendabit per ſuam induſtriam, cui remedium adhibere ignoraret, ſi ſola doctrina fundatus eſſet; & errori ſimiliter ſubveniet in puncto ex acquiſita ſcientia

per

per doctrinam, quam per ſolam naturalem induſtriam evitare non poſſet, quoniam, ut ajunt philoſophi, ars ex ingenio juvatur, ingenium verò ab arte rimatur.

Similiter neceſſarium eſt artificem conſtantis voluntatis in opere eſſe, ut non modò hoc modò illud attentare præſumat. Quia in rerum multitudine ars iſta non conſiſtit: eſt enim ut dicunt philoſophi, lapis unus, medicina una, in quo magiſterium totum conſiſtit, cui non additur res extranea aliqua, neq; minuitur, niſi quòd in præparatione ſuperflua removentur. Expedit etiam artificem hujus artis principia & radices principales, quæ ſunt de eſſe operis, non ignorare, quia, ut ajunt philoſophi, qui principia ignorat, finem nõ inveniet. Hunc ergò, pater ſancte, theſaurum excellentiſſimum & Dei donum flexis genibus cum omni humilitate & reverentia ſupplico, ut in ſacrario cordis veſtri diligentiſſimè & ſecretiſſimè includatis & ſigilletis, ne alicui, ſi placet, reveletis. Philoſophi enim revelantibus indignè hanc ſcientiam in libris ſuis infinitas adverſitates imprecantur. Nulli ergò revelari debet,

nisi illi quem sciverit aliquis mentem fidelem habere. Omnes enim philosophi sub metaphoricis, æquivocis & ænigmaticis verbis hanc scientiam mirè occultarunt, & hoc ideò, ne mundus devastaretur.

Sequitur capitulum secundum Gebrum, cum aliquibus appositis & probatis.

Oportet & sedulum operi usq; ad ipsius consummationem insistere, ut non opus detruncatum dimittat, quia nec proficuum ex opere diminuto acquireret, sed potiùs dispendium & damnum. Expedit similiter temperatum esse & parcum ad iram, ne subitò propter iræ impetum jam incepta dissipet & destruat. Similiter & pecuniam suam custodiat, nec præsumptuosè eam vanè distribuat, ne si fortè artem non invenerit, relinquatur in miseria depauperatus, & in desperatione, vel ne fortè, cum jam ad finem hujus magisterii per suam indagationem approximet, consumpta sint ipsius dispendia, & verum finẽ miser non attingat: sicut qui à principio cum ignorant prodigaliter suum thesaurum

rum totum exterminant, cum autem affines fuerint, non habent ulteriùs ex quo laborent, unde duplici hi tandem mœrore sepeliuntur. Et quia pecuniam dispensaverunt in rebus inutilibus, & quia scientiam, quam perditùs indagassent, nobilissimam amittunt. Unde dicit philosophus Geber; Non oportet tua bona consumere, quoniã vili pretio, si artis principia non ignoraveris, quæ tibi tradimus, & rectè intellexeris, ad completum magisterium pervenies. Si etiam tuum argentum perdideris non attendendo nostra monita, quæ tibi in hoc libro scripsim⁹ aperta & manifesta, nõ nos iniquè corrodas, nec nobis blasphemias injungas, sed tuæ imputa temeritati, ignorantiæ & præsumptioni. Non enim hæc scientia benè convenit pauperi & indigenti, sed potiùs est eis inimica & adversaria: nec non ei qui adinvenire nititur sophisticam metam operis; sed solùm sit complemento intentus, quoniam ars nostra in potentia divina servatur & cui vult elargitur & subtrahit, qui est glorioſus & sublimis, & omni justitia & bonitate plenus, Studeat similiter, cum in opere fuerit,

omnia ſigna, quæ in qualibet decoctione apparent in mentem ſigillare & illorum cauſam inquirere. Hæc igitur ſunt quæ neceſſaria conſiſtunt artifici ad artem noſtram idoneo: ſi verò alterutrum eorum quæ narravimus eidem defuerit, huic arti non adhæreat.

Nunc ſequuntur alia præcepta cujuſdam philoſophi, qui fecit librum quendam nomine Semita recta, quem utiq; pauci intelligunt, & hoc propter trufas & ſophiſticationes quas ponit, ſequens in hoc magiſtrum ſuum egregium Gebrum, qui plures poſuit ſophiſticationes & trufas ſub verbis dulcibus & mellitis, & ſuaſivis, ut fatui & inſipientes hanc ſcientiam philoſophicam non ſibi uſurparent, & indigni malæ voluntatis eam non poſſiderent. Et præfatus doctor alloquitur ſimplices magiſtros & philoſophos, reges & principes non exiſtentes, ſub forma tali ut ſequitur. Obſerventur præcepta iſta ut pupilla oculi, & primò ut ſit philoſophus, ut ſæpè dictum eſt, quia hæc ſcientia non eſt niſi de occultis philoſophorum. Item quòd quilibet habeat expenſas pro duobus annis ad

minus,

minus, ut si deficiat semel, bis vel ter, ut possit reiterare & errorem corrigere, aliâs si expensas non habuerit, amittet omnia, & opus hoc incompletum remanebit.

Item quòd in potestate principis vel alicujus magnatis non operetur propter tres causas, quarum prima: quòd si opus longum fuerit, quotidiè dicet, Magister, quomodo stat de opere, & sic derisionem suam faciet, ac dicet, nihil est, mendacium est, trufa est. Sed si opus bonum erit, ipse dicet, Magister vellem quòd vos me doceretis, si magister dicat, benè, & quando eum docuerit, sine scitu suo faciet eum occidi, ut nullus sciat nisi ipse: si magister sibi deneget, tunc faciet sine dubio eum capi et in perpetuis carceribus teneri, vel fortè interfici, cogitans iste ne forte eat ad aliquem tuum adversarium & destruat te cum potestate sua & ergò nullo modo aliquis cum principe vel magnate opus operetur, sed faciat secundum Metristam sic dicentem.

Vtere pane tuo sic tibi liber eris.

Item quòd qui scientiam habet & magiste-

gisterium inveniet, Deo gratias agat, & pauperibus dona eroget, sciens omnes philosophos clamare & dicere, donum Dei est, & cui vult dat, & cui non vult denegat; quòd si secus fecerit, sine dubio vindictam Dei experietur, quod utiq; pluries visum est & expertum: vel si scientiam planè non habuerit, & tamen operari voluerit, semper in Deum cogitabit, quoniam ipse est scientia, misericordia, veritas & vita, justus semper.

Item nulli secretum revelet, quia fortè si alicui vel aliquibus dixerit, diffamatus erit, & gentes fallarium & malum hominem eum nuncupabunt, & mala infamia curret super eum, sicut semel uni accidit, qui per unum mensem & ultra detentus erat.

Item quidam Medicus solennis Austriæ herbalem lapidem perfecit, & eum cuidam Regi Hungariæ detulit, & erat lapis ad pondus dimidiæ marcæ, unde regi dixit, Domine rex, Bona nova, me perfeciſſe noveritis lapidem philosophorum, qui aliud non est, nisi aurum potabile, & cum eo potest homo à sua lepra mundari & curari. Quæsivit rex, an opus illud esset Alchimicum,

cum, qui Medicus dixit, sic Domine, & tunc statim Rex contra illum suspicionem concepit, eò quòd Medicus erat, putans eum deceptorem, mandavitque Medicis suis ut ipsum examinarent, qui Medici regis isti dixerunt, Magister, si opus vestrum Alchimicum esset, non regi illud prodesset, scimus enim per Canones vestros, quòd aurum dulcis saporis debet esse, & quod portastis acerrimi saporis existit, non intelligentes, quid per dulcem saporem. Philosophi intellexerunt : & sic Medici prædicti invidi & ignari, in his dicta philosophorum non intelligentes & de prædictis notitiam non habentes, dictum Magistrum ad mortem perduxerunt. Unde si aliquem ad Principem ire contingeret, quod utiq; non suadetur propter dicta, sed si contingat, non deferat de dicta Medicina, nisi pro vice una tantùm, quantùm sumere potest sine damno, scilicet ad pondus lentis unius cum vino vel lacte, & quanti ponderis debeat esse Medicina, videat Medicus circumspectus. Etiam subjungit Doctor noster, ut opus nostrum Alchimicum non dicatur sed Philosophi-

cum: & verè ita vocatur, nc mentes hominum corrumpantur, quia invidi & ignari cum locutione tali hominem notant deceptorem, nec ulterius eum plus videre volunt, ac ſuper eum rident fantaſticumq; reputant: imò contra veritatem arguunt, & hoc pro parte probavi ante operis completionem.

Quantum ad aliud notandum, quòd materia omnium generabilium & corruptibilium eſt una, nec diverſificatur niſi per formas: formæ autem includuntur potentialiter, ut Ariſtoteles dicit, in ipſa materia, & de potentia materiæ educuntur. Iſta autem eductio formæ ſubſtantialis à materia habet fieri mediante agente naturali per corruptionem uniusrei prius exiſtentis in actu, & generationem alterius ſi benè intelligo, eò quòd Ariſtoteles dicit, quòd corruptio unius eſt generatio alterius. Corruptio autem rei prius exiſtentis in actu non eſt, niſi per corruptionem ſuæ formæ ſubſtantialis, qua corrupta res eſt reducibilis & reducitur ad ſuam primam materiam, & in eodem inſtanti ſuæ corruptionis ſeu reductionis ad

ſuam

ſuam primam materiam educitur de potentia illius materiæ per agentia naturalia alia forma ſubſtantialis, qua alia res diverſa in ſpecie de novo conſtituitur in eſſe actuali in eodem inſtanti, in quo præcedens forma rei priùs exiſtentis fuit corrupta, & per iſtum modum ſpecies mutantur in ſpeciem, in quantum videlicet res, quæ priùs exiſtebat in actu per ſuam formam ſubſtantialem, & conſtituebatur in eſſe ſpecifico, deducta fuit ad ſuam primam materiam per corruptionem ſuæ formæ, ex qua corruptione alia res diverſa ſpecie, per eductionem novæ formæ ſubſtantialis à prædicta materia, mediantibus naturalibus agentibus, generatur, & in eſſe actuali ſpecifico, in eodem inſtanti, in quo fuit facta præcedentis formæ corruptio, educitur ſeu procreatur; et per hunc modum educuntur ſeu generantur metalla Philoſophorum. Et eſt notandum, quòd licet corruptio ſubſtantialis rei priùs exiſtentis, et eductio formæ ſubſtantialis de potentia materiæ, rei in eſſe actuali exiſtentis, fiant in eodem inſtanti; tamen præparatio materiæ ad ſuſcipiendum formam non fit

in

in instanti. Nec hoc prohibet, quin formà vel perfectio possit dari præparationi in instanti, cum Aristoteles dicat 2. de anima, quod actus activorum sunt in patiente prædispositio : non enim præparatio est perfectio, sed habilitas ad formam suscipiendam. Unde advertendum, quod principia metallorum, super quæ actionem sive præparationem aut operationem suam fundat natura, sunt ad invicem durissimæ compositionis, ideò sunt durissimæ resolutionis, id est difficilimæ. Hoc enim videmus per experientiam in aliis rebus mineralibus, videmus enim quòd lapides pretiosi sunt difficilimæ resolutionis seu dissolutionis, quia in ipsorum generatione seu compositione vel procreatione compositionem fortissimam habuerunt. Unde dicimus utiq; , quòd principia, super quę actionem suam natura fundat, sunt durissimæ compositionis atq; fortissimæ; & sunt sulphur & argentum vivum, ut dicunt quidam Philosophorum. Igitur quia sunt durissimæ compositionis, difficilimę sunt resolutionis: sed inspissatio eorum ad invicem & induratio, taliter quòd fiat in

eis

eis concuſſio & extenſio per mallei compulſionem, & non confractio, non fit niſi per hoc, quòd humidum viſcoſum in eorum ad invicem commixtione, ſolvatur per ſucceſſivam & diuturnam inſpiſſationem & temperatiſſimam in minera decoctionem. Unde dicit quidam Philoſoph⁹; Regulam tibi tradimus, chariſſime fili, generalem, quoniam non fit inſpiſſatio alicujus humidi, niſi priùs fiat ex humido partium ſubtiliſſimarum exhalatio, & conſervatio ex humido partium groſſarum. Sic fit humidum in cõmixtione ſuperans ſiccũ, & vera commixtio ſicci & humidi eſt, ut humidum contemperetur à ſicco, & ſiccum ab humido, & fiat hæc ſubſtantia una, & in ſuis partibus homogenea, & temperata inter durum et molle: et extenſio in concuſſione non fit niſi per diuturnam commixtionem humidi viſcoſi et ſubtilis terrei per minima, quouſq; humidum idẽ cum ſicco, et ſiccum idẽ cum humido fiat. Et hujuſmodi ſubtilis vaporoſi reſolutio non fit ſubitò, ſed paulativè, et in multis millibus annorum; et illud ideo quoniam uniformis eſt ſubſtantia principiorum naturæ;

turæ : si subito ergo fieret ab eis superflui humidi resolutio, cum non differat humidum à sicco, nisi propter fortem commixtionem et permixtionem, resolveretur utiq; humidum à sicco, et totum in fumum evanesceret; neque separari posset humidum à sicco in resolutione propter fortem unionem, quam habuerunt ad invicem. Hujus itaq; videmus manifestam experientiam in spirituum sublimatione, quoniam cum eis per sublimationem fiat subita resolutio non separatur humidum à sicco, nec siccum ab humido sic, ut dividantur in partes mixtiones eorum; sed tota conscendit ipsorum substantia, aut parum ex eorum componẽtibus dissolvitur. Resolutio ergo humidi subtilis fumosi successiva et diuturna et æqualis est causa inspissationis metallorum. Hanc quoq; facere nõ possumus inspissationẽ per hunc modum : ergo in hoc naturam sequi non valemus, non enim possumus naturam in omnibus proprietatum differentiis actionis imitari, ut supra satis dictum est. Nostra igitur intentio non est in principiis naturam sequi, neq; in proportione miscibilium

um elementorum, neq; in modo mixtionis ipsorum adinvicem, neq; in æquatione caloris inspissantis, cum hæc omnia sint nobis impossibilia et penitùs ignota.

Sequitur capitulum de principiis naturalibus Mercurij, Sulphuris & Arsenici, & de causis eorum in generali.

Dicit ergo philosophus: Innuimus tibi secundum antiquorum opinionem, qui fuerunt de secta nostram artem imitantium, quòd principia naturalia in opere naturæ sunt spiritus fœtens et aqua viva, quam et siccam aquam nominamus, et nominari concedimus: Spiritum autem fœtentem divisimus: est enim albus in occulto, et rubeus et niger uterq; in manifesto hujus operis: in manifesto autem uterque tendens ad rubedinem: Dicamus igitur sermone brevi, nec non similiter completo generationem uniuscujusq; istorum et modum similiter generationis. Expedit igitur nos ampliare, sermonem nostrum et dilatare et singula capitula de singulo naturali principio tradere. In ge-

nerali tamen dicimus, quòd unuſquiſque ipſorum eſt fortiſſimæ compoſitionis & uniformis ſubſtantiæ, & illud ideò, quoniam in eis per minima partes terreæ taliter partibus aëreis, aqueis & igneis ſunt unitæ: ut nulla ipſarum alteram in reſolutione poſſit dimittere, imò quælibet cum qualibet reſolvitur propter fortem unionem, quam habuerunt ad invicem per minima à calore in mineralibus æquali terræ viſceribus concitato & multiplicato & æquato ſecundum debitum curſum naturæ ad exigentem illorum eſſentiam ſecundum opinionem quorundam antiquorum philoſophorum.

Alii verò aliter dixerunt, quoniam principium non fuerit argentum vivum in natura ſua ſed alteratum & converſum in terram, & ſulphur ſimiliter alteratum & in terram mutatum: unde dixerunt, quòd principium fuit aliud quàm ſpiritus fœtens & ſpiritus fugitivus in intentione naturæ. Et ratio, qua moti ſunt, fuit, quoniam non invenerunt in mineris argenteis vel aliorum metallorum aliquid quòd ſit argentum vivum in natura ſua, nec aliquid

quod

quod ſit ſulphur ſimiliter, imò per ſe inveniunt unumquodque eorum ſeparatum, & in propria ſua minera contentum. Et ſimiliter per aliam rationem hoc quidam affirmant, ſcilicet: non eſt tranſitus à contrario in contrarium niſi per diſpoſitionem mediam: ergò cum ſic ſit, coguntur confiteri & credere quòd non ſit tranſitu à mollitie argenti vivi ad duritiem alicujus metalli, niſi per diſpoſitionem mediam, quæ eſt inter duritiem & mollitiem eorum; ſed in mineris non invenitur aliquod, in quo ſolvetur hæc media diſpoſitio: ideò hac ratione compelluntur credere argentum vivum & ſulphur non eſſe principium de intentione naturæ, imò aliud quod ſequitur ex illorum eſſentiarum alteratione in radice naturæ ad terream ſubſtantiam. Et eſt iſte modus, quoniam prius unumquodq; eorũ cõvertitur ad terreã naturã, & ex his ambab⁹ terreis naturis ſolvitur fumus tenuiſſimus à calore multiplicato in viſceribus terræ: & hic duplex fumus eſt materia metallorum immediata. Hic tamen fumus à calore temperato mineræ convertitur in naturam cujuſdam terræ,

ideoq; fixionem quandam ſuſcipit, quam defluens aqua per viſcera & terræ ſpongioſitatem attingit, diſſolvit & ei uniformiter unitur unione naturali & firma. Ideò dixerunt ſic opinantes, poſtquam aqua fluens diſſolvens unum fuerit unione naturali, & ad talem mixtionem veniunt omnia elementa ſecundum debitam naturalem proportionem & miſcentur per minima, quouſq; faciant uniformem mixtionem: & hæc mixtio per ſucceſſivam decoctionem in mineris inſpiſſatur & induratur & fit metallum. Et hi quidem ſunt affines veritati, non tamen convincunt veritatem puram. Sed ad peiora revertendo dicatur de principiis doctorum. Hæc autē principia, ut dicunt philoſophi quidam, ſunt ſulphur & argentum vivum, & hoc ſatis per experientiam oſtenditur manifeſtè, & continuò probant aurifices: nam quòd metalla ſulphureitatem habent in ſua adinvicem compoſitione ſive admixtione apparet, quia quando metalla funduntur flammam emittunt ſulphuream, ſecundum tamen magis & minus, quia metalla imperfecta plus habent & emittunt de ſulphu-

phureitate volatili & corrumpente, quàm alia metalla perfecta, quæ nihil habent de tali ſulphureitate corrumpente, licet habeant ſulphureitatem puram & multum fixam. Quòd autem habeant in ſua compoſitione argentum vivum, manifeſtè etiam apparet in eorum fuſione: nam cum metalla ſunt fuſa ſive liquefacta rectè ſunt ad modum argenti vivi, ſed inſpiſſatio eorum ad invicem, videlicet argenti & ſulphuris & induratio taliter, ut fiat in eis concuſſio & extenſio per mallei compulſionem non eſt niſi per hoc, quòd humidum viſcoſum in eorum commixtione ſive compoſitione ſolvatur per ſucceſſivam inſpiſſationem & diuturnam & temporatiſſimam in minera decoctionem, ſicut etiam aliqualiter ſuperius eſt enarratum.

Sed advertatis pater ſancte & diligenter quòd philoſophi tradant talem regulam generalem, videlicet quòd non fit inſpiſſatio alicujus humidi, niſi priùs fiat ex humido ſubtiliſſimarum partium exhalatio, & niſi priùs fiat ſimiliter ex humido partium magis groſſarum conſervatio:

si sit tantum humidum in compositione seu commixtione superans siccum & vera mixtio sicci & humidi, ut humidum contemperetur à sicco, & siccum ab humido, & fiet ex eis videlicet sicco & humido substantia una in suis partibus omninò una sive homogenea & temperata inter durum & molle & extensiva in concussione, sed hoc non fit nisi per diuturnam mixtionem hujusmodi viscosi & subtilis terrei per minima, quousq; humidum idem cum sicco & siccum idem cum humido fiat, ut prædictum: & hujusmodi subtilis vaporosi seu fumosi non fit resolutio seu exhalatio subita, imò paulativa & in multo & longo tempore: & causa sive ratio hujus est talis, quoniam uniformis est substantia principiorum naturæ: si ergò subitò fieret ab eis superflui humidi cum sicco resolutio, quasi totum evanesceret in fumum, neq; separari posset humidum à sicco in resolutione propter formam unionem, quam habent adinvicem. Resolutio ergò seu exhalatio hujusmodi viscosi, subtilis, fumosi diuturna & æqualis, est causa inspissationis seu compositionis

nis

nis metallorum. Hunc quoq; inſpiſſationem ſive compoſitionem metallorum quam facit natura in mineris facere non poſſumus per hunc modũ, per quem natura facit: ergò in hoc ſequi naturam non poſſumus, non enim, ut ipſi dicunt, naturam poſſumus imitari in omnibus differentiis proprietatum actionis, & in hoc errant, ut dicunt Philoſophi, artifices ignorantes, qui naturam in omnibus imitari deſiderant. Intentio enim Philoſophorum non eſt in magiſterio eorum naturam ſequi ſeu imitari in principiis neq; in proportione elementorum miſcibilium neq; in commixtionibus eorum ad invicem, neq; in æquatione caloris inſpiſſantis metalla & in eſſe producentis, cum hæc omnia ſint eis impoſſibilia & penitus ignota, eò quòd ut diximus hæc natura agit in occultiſſimis terræ viſceribus. Unde quande quando arguitur in primis argumentis Philoſophorum proportionem elementorum & modum mixtionis ipſorum ad invicem, & æquationis caloris metalla naturalia inſpiſſantis ſeu componentis & alias cauſas multas & accidentia actionem na-

turæ consequentia ignorare concedo: sed non propter hoc istam benedictam scientiam intermittunt: & ratio est quia non possunt ad opus eorum prædicta naturalia principia pervenire nec convenire, sed alia principia naturalia tamen assumunt & alium modum naturalem generationis suorum metallorum, in quibus possunt naturam sequi & imitari. Si dicant sapientes hujusmodi hanc desiderasse scientiam & eam non invenisse; respondeo & dico, falsum esse: nam ut lego in libris philosophorũ aliqui principes sapiẽtes, licet pauci reperti sunt ex sua industria & ingenio naturali hanc indagasse scientiam, sed aliis, cum indigni sint, eam tradere noluerunt. Ad argumentum, quando dicitur philosophos hanc scientiam in libris suis tradidisse, & nihil veritatis in eis inventum fuisse, dico, quòd philosophi in libris suis istam scientiam verissimè tradiderunt: unde si idiotæ & ignorantes per libros philosophorum ad notitiam istius veræ scientiæ non devenerunt, hoc fuit propter obfuscationem eorum ingenii: non ergò philosophos reprehendant sed seipsos.

Non

Non enim, ut ipsi dicunt suos libros composuerunt, nisi sibi ipsis & filiis suis. Hoc dicit Isaacus Philosophus loquens de hac scientia ; nostros libros non composuimus nisi nobis & filiis nostris : & qui ad intelligendum venerit ex nostris est. Si dicatis , pater sancte , multos reges & principes modernos hanc scientiam desiderasse , & nullum fructum invenisse ; dico quòd verum est, & benè scio aliquos, qui studium suum ad hoc impenderunt, sed nunquam nisi deceptores habuerunt, & ideò fructum hujus excellentissimæ scientiæ pertingere non potuerunt, quia nemo dat quod non habet, sed damnum inde incurrerunt : quia veritas dicit, si cæcus cæcum ducat , ambo in foveam cadunt. Quando dicunt quidam, in debilibus compositionibus naturam sequi non possumus, nam equum, qui in sua compositione debilem habet mixtionem, fingere nec formare possumus ; ergò minùs ipsa metalla , quæ in sua compositione firmissimam & fortissimam habent mixtionem , formare sciemus ; respondeo & dico , quòd argumentum non concludit

dit de neceſſitate; non enim aſſignatur aliqua ſimilitudo apparens inter debilem cõpoſitionem mixtionis animalium & metallorum fortem & firmam. Et ideò quoniam in naturalibus & aliis viventibus, in quibus compoſitio & mixtio elementorum eſt debilis, non eſt perficiens ſolum proportio miſcibilium elementorum, nec qualitatum eorum, nec commixtio quæ ſequitur ex illarum adinvicem actione & paſſione, quæ eſt ex aggregatione illarum primarum qualitatum; Sed anima ſecundum opinionem plurimorum Philoſophorum, quæ eſt ab occultis naturæ. Ideò hæc talia, licet ſit in eis debilis mixtio perficere nec formare ſcimus nec poſſumus, quia perfectivum quod eſt anima, educere ſive introducere ignoramus. Per hoc igitur manifeſtè apparet quoniam non eſt defectus ex parte mixtionis vel compoſitionis, quod nos non perficiamus equum vel alia viventia, ſed eſt ex defectu eductionis animæ perfectivæ, quocunq; modo educatur ſive à potentia materiæ per agens naturale, ut Philoſophus dixit, ſive ab extra ut ab eſſentia quinta, vel à primo motore ut aliqui

qui dixerunt antiqui Philoſophi. Quoniam ſecundum viam & curſum naturalem imitando artificium ſeu magiſterium iſtud philoſophicum, ſic debilem & magis debilem, ſic fortem & magis fortem compoſitionem facere & formare ſciremus & poſſemus in metallis. Ergò minor eſt perfectio, quàm in iſtis viventibus. Et cauſa eſt, quia perfectio in metallis magis verſatur circa proportionem miſcibilium elementorum, quàm circa alia. Et ideò cum in eis ſit minor perfectio, quàm in viventibus, ut ſtatim diximus, liberius ipſa metalla perficere poſſumus, illa autem non. Deus enim benedictus & in omnibus operibus ſuis glorioſus & ſublimis diverſificavit mirabiliter & multipliciter perfectiones rerum. Nam in quibus compoſitio ſecundum naturam eſt debilis, in illis poſuit majorem & nobiliorem perfectionem, quæ eſt ſecundum animam; ſed quædam alia condidit, in quibus poſuit fortiorem & firmiorem compoſitionem ſicut ſunt lapides & mineralia; licet in eis ex modo mixtionis eorum ſit minor & ignobilior perfectio ratione formæ perfectivæ:

lia facientes, ſolùm tranſmutant metalla quoad quædam accidentia ſua, & inducunt quædam accidentia alterius metalli, puta colorem & pondus & duritiem & non formam ſpecificam; & ratio eſt, quia unum metallum non eſt materia, nec in forma ſubſtantiali unius metalli eſt diſpoſitio ſeu via ad formam alterius. Et ideò oportet fieri reſolutionem uſq; ad prima miſcibilia, ſi unum debeat ex altero generari, quod de metallis naturalibus fuerit ſolum à natura, aliquo artificio impoſſibile eſt fieri. Reſpondeo & dico quòd in æquivoco laboramus, quia philoſophi in ſuis libris loquuntur ſic de illa generatione ſeu tranſmutatione, quam ſolùm facit natura, cum natura in tranſmutatione ſeu generatione metallorum habeat ſua principia & ſuum modum agendi, in quibus ut jam dictum eſt ſuperius, impoſſibile eſt eam aliquo artificio ſequi ſeu imitari: ſed loquuntur ſolum de generatione ſeu tranſmutatione ſuorum metallorum, in quibus per artificium naturale naturam ſequi poſſumus & imitari, ut patet ſcientibus: unde quando philoſophus dicit prædicta, con-

fiteor

fiteor quòd loquitur de inſcientibus & ignorantibus Alchimiſtis, qui credunt ut dictum eſt, unam ſpeciem in aliam tranſmutari, abſq; hoc quod unum illorum reſolvatur in prima elementa miſcibilia, cum hoc ſit omninò poſſibile per aliquod artificium fieri : & ideò loquendo talibus dicit : ſciant Alchimiſtæ ſpecies mutari non poſſe, videlicet per illum modum per quem vos falſarii creditis & facitis : ſed non negat quin una ſpecies metalli in aliam ſpeciem metalli poſſit permutari per modum naturalem jam dictum, videlicet per reſolutionem unius in primam ſuam materiam, hoc eſt in prima elementa miſcibilia. Nam quòd hoc fieri poſſit imitando naturam per artificium Philoſophorum manifeſtè innuit cum ſubjungit, niſi reducantur in primam materiam. Ad aliam authoritatem, quam ponit quarto metheor. dico etiam quòd loquitur de ignorantibus Alchimiſtis, qui per modum ſophiſticum faciunt talia, ex quibus meritò, ut dicunt Philoſophi, falſarii nuncupantur.

Sequitur tertium, quòd in proœmio

nie promisi ostensurum, videlicet, quæ sint principia naturalia hujus rei quam quærimus, quibus in ejus operatione mirabili artifex naturam imitatur. Est tamen primò notandum, quòd res ista de qua omnes antiqui Philosophi tractaverunt, est argentum vivum sapientum; quod & aliis nominibus vocatur medicina, aurum & lapis Philosophorũ & Elixir, & aliis infinitis nominibus, ut per ea, quæ inferiùs dicentur, perpendi poterit manifestè. Vocatur autem aurum ista medicina Philosophica, quia ut dicit Geber, quod facit aurum, aurum est; sed medicina philosophica facit hoc, eò quòd omnia metalla naturalia, etiam argentum vivum convertit & transformat in verum aurum; ideò bene dicitur aurum. Et est sciendũ quòd hujus rei principia sunt duo principaliter, videlicet Materia & Agens. Materia autem, ut dicunt quidam philosopphi, est argentum vivum, & sulphur seu Arsenicum quod idem est.

Advertatis tamen, pater sancte, quoniam ut dicunt philosophi, non est argentum vivum in natura sua, neq; in natura ad

quam

quam reducit illud minera ſua, hujus rei materiale principium, ſed ad quam perducit artificium eorum: & ſimiliter de ſulphure & ejus compari eſt inducere. Et ratio qua ſunt moti, fuit, quòd non inveneruntin mineris argenteis vel aliorum metallorum aliquid, quod ſit argentum vivũ in natura ſua, & aliquod quod ſit ſulphur ſimiliter, imò per ſe unumquodq; eorum ſeparatum, & in propria ſua minera & in ſua natura inveniunt. Iſtud autem argentum vivum & ſulphur, quod jam, pater ſancte, dixi & vobis expoſui, deductum ſeu productum ad quandam naturam aqueam ſubtiliſſimam, clariſſimam, albiſſimam & mundiſſimam, quam Philoſophi vocant argentum vivum & ad quandam terream naturam ſubtiliſſimam, quam vocant Philoſophi ſulphur per artificiũ, quod Philoſophi mirabiliter occultaverunt, & diſertè occultum eſſe voluerunt; neq; in aliquo loco totum tradiderunt, ſed per libros ſuos ſparſim & per partes diviſerunt; de quo artificio, pater ſancte, nihil intendo pertractare, eò quòd vobis impoſſibile ſit experiri, nec eſſet expediens, quòd per

alium experiri faceretis. Esset etiam prolixum omnia quæ in dicto artificio essent necessaria enarrare, sed si S. V. placeret, verbotenus enarrabo: non enim vobis intendo aliquid occultare sed omnia huic operi necessaria tradere breviter & fideliter. Est autẽ præfatum artificium prolixum & sumptuosum & maximè laboriosum, & inexpertis valdè periculosum sicut ego in meipso expertus sum.

Est autem notandum, quòd Philosophi istud argentum vivum & istud sulphur unam rem esse dixerunt: & verè ita est, quia una est, & de una re exivit, sicut aliâs vobis exposuî.

Quòd una res sit demonstratur, quia aliquando nominant dictum argentum vivum sulphur, & sulphur vocant argentum vivum: & totum simul argentum vivum & sulphur: quòd autem sit una sola res solùm, omnes Philosophi in pluribus locis dicunt. Dicit enim Lucas, pluribus rebus non indigetis nisi una. Et alius dicit, sciatis hujus artis fundamentum, propter quam multi perierunt, unum quid esse. Et Diomedes; venerabili utimini natura,

quo-

quoniam natura non emendatur nisi in sua natura, quibus noli alienum quid introducere. Et Bacsen ait, cavete ne alienum quid introducatis. Et Geber ; In multiplicitate rerum ars nostra non consistit. Est enim lapis unus, medicina una, in qua totum magisterium consistit, cui non addimus rem extraneam aliquam, nisi quòd in præparatione superflua removemus. Et Ascanus: Natura una est tantùm, quæ in omnibus superat omnia. Item Pythagoras, omnibus nominatur nominibus, cujus nomen unum & idem est: & multa similia dicunt, quæ longum esset enarrare, ad ostendendum quòd una res est sola, super quam actionem suam fundat natura in hujusmodi operatione ; quæ res, ut superiùs dixi, est argentum vivum & sulphur quod vobis demonstravi.

Sed posset quæri, quare ergò Philosophi istam rem, si non est nisi una, omnibus nominibus nominaverunt, & omnibus rebus comparaverunt? Ad hoc assignant ipsi plures rationes : dicit enim Diomedes, quòd hoc fecerunt ut insipientes & ignorantes istam non cognoscérent. Item

Morienus : Invidi nomina multiplicaverunt, ut posteros seducerent. Vocat autem seipsos invidos, quia invident ne aliis quàm sibi ipsis hæc scientia pateat. Item Pythagoras: Multis istam rem nuncupaverunt nominibus propter excellentiam suæ naturæ. Bonellus dicit, quòd nomina multiplicaverunt, quia in operatione istius rei omnes colores, qui excogitari possunt in hoc mundo, apparent. Et sic ejus nomina diversificaverunt secundum diversos colores in opere apparentes. Est & alia ratio, quam ipsi assignant quòd in ista re omnia elementa continentur, quare istam rem nomine cujuslibet rei elementatæ vocaverunt: quòd autem in ea sunt quatuor elementa, Orpholcus Philosophus dicit. Scitote quòd in initio miscere oportet elementa pura, cruda & sincera, & jam rectè super levem ignem commiscere, & intensionem ignis cavere, quousq; conjungantur elementa, & sic se invicem complectantur. Elementa igitur igne levi decocta diligenter, lætantur & in alias vertuntur naturas. Ait etiam Philosophus, converte elementa, & quod quæris invenies.

Con-

Convertere autem elementa, ut quidam alius dicit, est humidum facere siccum, & siccum humidum, & fugiens fixum. Ergò habetis, pater sancte, quòd inista re una quatuor sunt elementa: & verè ita est. Nam in istius operatione omnia quatuor elementa visibiliter videntur & separantur, & naturaliter extrahuntur. Et ideò Philosophi vocant istam rem quatuor corpora, & quatuor naturas. Dicit enim Hermes. Aqua ista est natura cælestis, quæ in corporibus existentia elementa suo regimine separat, & iterum ea componens in unum reducit. Dicit enim Miredus, fit hoc compositum perfectum in omnibus 4. elementis.

Hæc autem multiplicatio nominum fuit causa erroris illorum, qui operantur in non debita materia, sicut in salibus, aluminibus, urinis, stercoribus, sanguine humano, sulphure & argento vivo in natura, marchasitis & multis aliis trusis; ignorantes, quòd in re non potest inveniri quod ea non est, ut dicit Geber, nec intelligentes quòd Philoso-

phi ſimulitudinariè & metaphoricè in dictis ſuis ſunt locuti, hanc rem volentes penitùs ignorari; hæc autem omnia ſunt in hac arte ſecretiſſima & penitùs nulli revelanda. De hac aqua ſive de hac re multa & infinita dixerant Philoſophi, quod eſſet nimis prolixum enarrare. Habetis igitur pater ſancte, quæ ſunt principia materialia ſive cauſa materialis hujus rei, quæ dicitur Medicina vel aurum Philoſophorum, videlicet argentum vivum & ſulphur.

Reſtat per conſequens agendum de cauſa agente. Agens autem movens materiam ad corruptionem eſt calor, qui eſt inſtrumentum movens ad corruptionem & putrefactionem ac non eſt aliud agens in mundo. Et hoc eſt quod Alphidius Philoſophus dicit: Scitote filii, quòd ſubſtantia agens in hoc mundo eſt unum ſcilicet calor: calore autem privato nullus eſt motus: motus autem actuſq; diſpoſitionis ipſius materiæ radix eſt calor. Sed cum multi ſint gradus caloris ſeu ignis, videndum eſt, quis eſt iſte ignis, & in quo gradu eſt? Certè iſte ignis eſt calor ſimi

equi-

equini. Unde Alphidius 4. cap. ſui libri dicit: Igne coquitur quem tibi oſtendam: & eſt abſcondere in equorum ſtercore humido, quod eſt ſapientum ignis, ſcilicet ignis humidus & obſcurus; & eſt calidus in primo gradu & humidus in ſecundo. Unde Vincentius: Eſt autem ignis multiplex & ejus caliditas diverſa. Quidam ignis eſt calidus in primo gradu & humidus in ſecundo, ſcilicet ignis ventris equi, cujus proprietas eſt, non deſtruere oleum h. e, meteriam, ſed augmentare propter ſuam humiditatem; nam alii ignes deſtruunt ſiccitatem. Solus enim iſte calor eſt æqualis & temperatus: & talis calor eſt ſummè neceſſarius in generatione iſtius rei, cum Geber dicat, quòd ſunt fumi ſubtiliſſimi, qui temperata decoctione indigent ut in ſeipſis ſecundum æqualitatem inſpiſſetur humiditas propria & non fugiat ab ea, & relinquat ipſam omni humiditate privatam. Solus enim, ut idem ait, temperatus calor eſt humiditatis inſpiſſativus, & mixtionis perfectivus non ſuperexcedens. De iſto calore omnes Philoſophi locuti ſunt ſub verbis æquivocis &

metaphoricis, unde assimilaverunt eum calori solis, & calori naturali hominis sani. Unde dicit Moyses: Calore solis res congelantur. Unde insipientes decipiuntur, qui uruntur ignibus diversis, non intelligentes verba Philosophorum, sed ignorantes, quod generationes & procreationes rerum naturalium habent solum fieri per temperatissimum & æqualem, & non superexcedentem calorem.

Modus mixtionis.

Visis principiis naturalibus hujus rei, subsequenter videndum est de modo mixtionis seu compositionis eorum ad invicem. Est autem sciendum, quod principia naturalia hujus rei, super quæ natura fundat actionem suam in ejus operatione mirabili sunt sulphur & argentum vivum, ut dictum est; unumquodq; autem ipsorum est fortissimæ compositionis ad invicem & uniformis substantiæ, & hoc ideò quoniam in iis partes terreæ taliter partibus aëreis, aqueis & igneis sunt unitæ per minima, ut nulla ipsarum partium in re-

solu-

ſolutione poſſit alteram dimittere, imo quælibet cum qualibet reſolvitur propter fortem unionem, quam habent ad invicem per minima à calore agente æquali in ſuo vaſe conculcato, multiplicato & æquato ſecundum debitum curſum naturæ ad exigentiam illorum eſſentiæ. Eſt tamen advertendum quod prædictus modus mixtionis eſt iſte: quoniam priùs unumquodq; eorum videlicet ſulphur & Mercurius convertitur in terream naturam, & ex ambabus terreis naturis reſolvitur fumus tenuiſſimus à calore multiplicato in vaſe ſuo: & hic duplex fumus eſt materia metallorum, ſeu medicinarum vel lapidis Philoſophici immediata. Hic tamen fumus à calore temperato in vaſe ſuo decoctus convertitur in naturam cujuſdam terræ, ideoque fixionem quondam ſuſcipit, quam defluens aqua per vas & ſpongioſitatem diſſolvit, & ei uniformiter inviſcatur unione naturali & firma. Ideoq; dixerunt ſic opinantes, quod aqua fluens per meatus terræ invenit ſubſtantiam diſſolubilem ex ſubſtantia ter-

terræ in viſceribus illius, & illam ſolvit & univerſaliter ſecũ unit, quouſq; ſubſtantia terræ in viſceribus diſſoluta & aqua fluens diſſolvens unum fuerint unione naturali; Et ad talem mixtionem deveniant omnia elementa ſecundum debitam naturalem proportionem & miſceantur per minima, quouſq; faciant uniformem mixtionem, & hæc commixtio per ſucceſſivam decoctionem & diuturnam & temperatiſſimam in vaſe ſuo inſpiſſatur & induratur, & fit metallum ſeu medicina ſive lapis Philoſophorum. Ideò dicit Morienus ; Diſpoſitio ſapientum eſt naturarum mutatio & earum naturarum calidi, frigidi, humidi cum ſicco ſubtili diſpoſitione admirabilis connexio, & eſt argentum vivum ſapientum.

Notandum tamen, quòd ingreſſio, ſubmerſio, fixio, connexio, inſpiſſatio, conjunctio, complexio, compoſitio & mixtio, & talia ſimilia idem ſignificant in hac arte. Nihil enim ingreditur, fixatur, ſubmergitur, conjungitur, inſpiſſatur, convertitur, complectitur, componitur, quin miſceatur. Videndum eſt ergò quid ſit commixtio,

mixtio, quia ipsâ cognitâ per definitionem omnia alia cognoscuntur.

Secundum ergò Democritum, Commixtio est miscibilium per minima sibi junctorum unio. Intelligenda ergò est natura miscibilium scilicet elementorum; nam ipsa sunt prima principia uniuscujusq; mixti: nec ipsius mixti naturam manifestam nec occultam scire possumus, nisi sciamus ipsa elementa commiscere seu componere. Unde Hermes: intelligite filii sapientum quatuor elementorum scientiam, quæ suis patentia sunt rationibus in sua abscondita apparitione: eorum enim apparitio abscondita nequaquam significatur nisi componatur, eo quod non perficiuntur, donec sui colores peragantur. Item nota, per minima id est per indivisibilia: nam minimum est illud, quod est indivisibile; nam si posset dividi non esset minimum. Apparet ergo, quod per minima h. e. per indivisibilia fit commixtio elementorum; & quod elementum sit minimum corporis, apparet per definitionem ejus. Nam elementum est simplex & minima particula ipsius corpo-

ris.

ris. Habetis ergo, pater sancte, declaratum, quæ sunt principia hujus pretiosissimæ rei, & modum compositionis eorum ad invicem, quæ compositio non est aliud nisi generatio medicinæ seu lapidis philosophici, quæ alio nomine vocatur aurum.

De effectibus principiorum.

Sequitur declarandum de effectibus prædictorum principiorum, videlicet argenti vivi & sulphuris. Ideo ad evidentiam eorum est notandum, quod in operatione istius rei considerantur plures gradus. Ait enim Lucas in turba phil. pluribus rebus non indigetis nisi una, & illa una res in unoquoq; gradu operum nostrorum in aliam vertitur naturam. Hujusmodi autem gradus sunt secundum diversas proportiones miscibilium elementorum, quæ in ejus operatione eveniunt, & quamlibet proportionem in gradu suo secundum ordinem, quem natura tenet, in modo & prosecutione generationis suæ nomine alicujus metalli vocaverunt. Nam primum gradum operationis naturæ vocaverunt ferrum seu Martem, secundum gra-

gradum Æs ſeu Venerem, alium plumbum ſeu Saturnum, alium ſtannum ſeu Jovem, alium argentum ſeu ☽nam, alium aurum ſeu ſolem, & infinitis aliis nominibus iſta ſua metalla metaphoricè nominaverunt, & totum iſtud ad occultandum ſcientiam. Hæc autem metalla, in quantum generantur ab eiſdem principiis primis, videlicet ab una prima materia, quæ eſt argentum vivum & ſulphur, dicuntur & ſunt effectus prædictorum principiorum, ſcilicet ſulphuris & argenti vivi. De quolibet prædictorum in ſpeciali Philoſophi tractaverunt, definiendo ſecundum diverſas proprietates eorum diverſimodè, quodlibet per ſe, eo quod diverſam compoſitionem ſeu generationem in ſui creatione ſeu productione habuerunt. Eſt tamen notandum, quod Philoſophi aliquando nominant illud, quod vocaverunt aurum, ſuum ferrum vel plumbum, & ſic de aliis, & etiam è converſo ferrum vel plumbum, & ſic de aliis, vocant aurum, & hoc diverſis reſpectibus; quia in quantum reſolutio ſeu corruptio unius eſt gene-

ratio

ratio alterius vel causa alterius, & effectus est in sua causa, benè dixerunt, quod aurum est ferrum, & sic de aliis, eo quod illa res, quam ipsi aurum vocant vel medicinam auri, generatur ex resolutione seu corruptione aliorum metallorum. Nam in eadem operatione generantur & corrumpuntur omnia dicta metalla, & ex eis & eisdem generátur aurum eorum: benè enim dixerunt, quod ferrum, & sic de aliis, est aurum, eo quod causa aliquo modo est suus effectus. Per ealdem etiam considerationes communicant sibi nomina adinvicem alia metalla, in quantum corruptio unius est generatio alterius. Est etiam notandum, quod omnia ista metalla vocant Philosophi argentum vivum & sulphur, eo quod ipsa ex eis fiunt & generãtur. Prædictas autem generationes metallorum Philosophi complexiones vocaverunt, sed omnes inæquales exceptâ auri & argenti, & illam etiam argenti respectu per respectum ad aurum dixerunt inęqualem, sed respectu aliorum æqualem vocaverũt; solam ergo auri æqualem & perfectam dixerunt. Nec aliam aliquam dictarum com-

complexionum ſeu generationum quæſi-
verunt Philoſophi, niſi ſolam illam quam
vocant æqualem ſcilicet auri, de qua dicit
Johannitius, quòd æqualis commixtio eſt
illa, quando cum moderatione corpus di-
citur incolume. Et notandum quòd di-
cit, cum moderatione, ſcilicet 4. natura-
rum, videlicet caliditatis, frigiditatis, hu-
miditatis & ſiccitatis. Nam quando ali-
qua iſtarum naturarum aliam non exce-
dit, tunc dicitur corpus æquale, quia tan-
tum eſt de una, quantum de alia. Item di-
cit, incolume id eſt ſanum vel mundum ab
omni cauſa corruptionis. Ideò dicit Ge-
ber, ſtannum eſt plumbum puriſſimum,
& eſt in eo æqualitas fixionis vel ſpiſſitudi-
nis duorum componentium argenti vivi
ſcilicet & ſulphuris. Non autem æquali-
tas quantitatis, quoniam in commixtione
vincit argentum vivum. Item Hermes:
Filii philoſophorum, corpora ſunt ſeptem,
quoniam primum eſt aurum eorum opti-
mum, rex & caput, quod nec terra cor-
rumpit, nec res aliquæ comburentes com-
burunt, nec aquâ alteratur, eò quòd com-
plexio ejus eſt temperata & natura directa

in caliditate, frigiditate, ſiccitate & humiditate: nec in eo quid ſuperfluum eſt, nec minus: & ideò Philoſophi prætulerunt ipſum & magnificaverunt & dixerunt, quòd ſic ſe habeat aurum in coporibus metallicis, quemadmodum ſol in ſtellis.

Sunt autem quæ reſtant determinanda principia artificialia hujus rei, quem quærimus, & hæc ſunt quatuor operationes ipſius, quibus mediantibus hæc res, quam nos quærimus, generatur & in eſſe actuale deducitur ſeu producitur. Et unus modus eſt ſublimatio, & alter deſcenſio, tertiò deſtillatio, & unus ex modis eſt calcinatio, & alius ſolutio & alter congelatio, ſeptimus verò modus fixio, octavus inceratio; & de ſingulis his Philoſophi tractatum faciunt ſingularem & in libris eorum de iſtis ſingulis dicunt infinita; qui quidem modi licet ſint ad invicem ratione diverſi, ſunt tamen idem realiter. Philoſophi enim conſiderantes materiam ſuam, quòd quando eſt in vaſe ſuo, & ſentit ſolem ſuum h.e. calorem, incontinenti exhalat ſeu evaporat in ſpeciem

fumi

fumi ſubtiliſſimi & aſcendit in altum in capite vaſis, & Philoſophi vocáverunt talem aſcenſionem ſublimationem. Videntes poſtea eandem materiam, quæ aſcenderat, deſcendere ad fundum vaſis, vocaverunt deſtillationē & etiam deſcenſionem: & adhuc videntes inſpiſſari iſtam materiam & denigrari & fœtorem malum dare vocaverunt putrefactionem. Videntes poſtea dictum colorem nigrum ſeu fiſcum & fœtorem malum poſt longū tempus dimittere & aliqualem albedinem ad modum cinerei coloris venire, vocaverunt incinerationem ſeu dealbationem. Ideò Morienus ait: totum nihil aliud eſt, niſi extractio aquæ ex terra, & aquæ ſuper terram dimiſſio, donec ipſa putreſcat: & hæc terra cum aqua putreſcit & mundificatur, quæ cum mundificata fuerit, auxilio divinitatis totum magiſterium dirigetur. Et adhuc videntes terram cum ſua aqua commiſceri, & aquam paulatiuè propter temperatam decoctionem diminui & terram creſcere, dixerunt omnes quòd hæc erat ceratio perfecta: unde ait philoſoph⁹, quòd terra cū aqua ceratur &

imbuitur & per temperatam decoctionem solis h.e. caloris desiccatur, & in terram vertitur, tota materia. Unde idem ait: vis ejus integra est, si versa fuerit in terram. Item videntes quòd tota materia veniebat in quandam inspissationem, & quòd reducebat se ad solidam substantiam & quia non fluebat, sed stabat stricta dixerunt quod esset perfecta coagulatio. Ideò Plato ait: Solvite lapidem nostrum & postea congelate cum magna cautela, sicut vobis est demonstratum & habebitis quasi totum magisterium. Item alibi: Recipite lapidem nostrum, & ponite in vase nostro firmiter clauso, & assate igne levi donec constringatur, postea coquite ad calorem solis donec congeletur. Et sciatis quòd totum magisterium nostrum nihil aliud est, nisi facere veram solutionem & perfectam & naturalem congelationem. Unde dicit Plato: Solvite & congelate, & sic scietis totum magisterium. Item videntes dictam materiam perfectè coagulatam & inspissatam, ita quòd nullo modo resolvebat se in aquam nec in fumum, dixerunt, quòd vera erat fixatio. Et

quia

quia eandem congelationem & inſpiſſationem ſeu fixationem propter majorem decoctionem caloris viderunt devenire ad perfectam deficcationem & dealbationem, & quòd iſta albedo erat ſuper omnes albedines, dixerunt, quòd erat hæc perfecta calcinatio. Item videntes hanc materiam ad unum calorem ſtare in coloribus infinitis mutari, quod fieri non poterat, niſi materia mutaretur de natura in naturam, & hæc mutatio etiam fieri non poterat, niſi per materiæ reſolutionem; ideò hanc reſolutionem dixerunt ſolutionem. Nam in ipſa reſolutione ſeu ſolutione diſcontinuantur elementa, & poſtea adinvicem complectuntur & convertuntur, & adinvicem viciſſim agunt & patiuntur. Et ideò Philoſophi dicta elementa conjuges appellarunt. Quare errant turpiter inſipientes & ignorantes, qui credunt medicinam philoſophicam creare cum ſuis trutatoriis ſublimationibus, congelationibus & cæteris. Audiant quid iis dicant Philoſophi. Filii Alchymici, à ſuis cunctis diſſolutionibus, ſublimationibus, conjunctionibus, ſeparationibus,

congelationibus, preparationibus, contritionibus aliisq; desistant deceptationibus; & sileant prædicantes aliud aurum à nostro, quod est in corpore Magnesiæ occultum, aliud sulphur à nostro, aliam aquam à nostra, quæ dicitur permanens, aliud acetum à nostro, quod dicitur acerrimum, aliam dissolutionem vel congelationem à nostra, quæ fit igne levi, aliam putrefactionem à nostra, aliquid aliud volatile sive spiritum alium, aliud à nostris videlicet argento vivo & sulphure, vel aliud alumen sive sal à nostro, quod in albedine compositum de compositione dicitur flos salis albi, vel aliquod aliud ovum à nostro, quod similitudinariè dicitur ovum, vel alium lapidem à nostro, vel alium sanguinem humanum à nostro, vel aliquid aliud à re vegetabili vel homine vel bruto extractum fore nostræ operationi opportunum vel utile. Qui in hoc fortè decipiuntur, quòd nostri lapidis tot sunt nomina, quot sunt res, audiant plures Philosophos docentes, quòd non exoritur ex homine nisi homo, nec ex brutis animalibus

libus ſeu vegetabilibus niſi ſibi ſimile: niſi erroncos ſequentes, aliquas falſas applicationes per hujuſmodi talia quærant, per quas & ipſi meritò falſarii appellantur. Et taceant credentes expulvere bruti animalis baſiliſci opus noſtrum fieri. Et ex hoc fortè falluntur, quòd noſtri lapidis odorem dicunt eſſe Philoſophi, tanquam odorem ſepulchrorum, & propter hoc fortè credunt ipſum eſſe baſiliſcum, quod utiq; fœtidum animal exiſtit. Si autem invenies iſtam rem nutriri ſicut infans in utero, ut quidam Philoſophi dicunt, trahes illud ad ſimilia, non ad temporis quantitatem, ſed ad lenitatem decoctionis. Ut cum dicitur, ſolis quoq; calore res congelantur; & cum dicitur hanc rem nutriri ovorum nutritione, hæc omnia ut videtis, quæ in hac arte vel ſcientia ſcripta ſunt, ad eam occultandam ſcripta ſunt, non ut in cæteris ſcientiis, de quibus dici poteſt, quæcunq; ſcripta ſunt ad noſtram doctrinam ſcripta ſunt. Quare dicit Philoſoph⁹: Nolite compoſitionum pluralitatem

curare, nec ea quæ Philosophi in suis libris posuerunt, veritas namq; nostra una est. Notate quòd totum magisterium & tota intentio Philosophorum non est aliud nisi dividere, mundare, & congregare. Et iterum, tota perfectio non est aliud nisi perfectè solvere & coagulare. Notate quòd totum regimen non est aliud nisi decoquere & assare. Notate, quòd in tabellas tenues coaptare, limare, cum forcipibus incidere, comminuere, pulverisare, incinerare, aquare, separare, dividere, mundare, dealbare, rubificare, solvere, foliare, colare, commiscere, calefacere, pilare, cribrare, rigare, humectare, infirmare, imbibere, impastare, decoquere, desiccare, subtiliare, fundere, gladio igneo inscindere, malleo percutere, animam à corpore sequestrare, perfundere corpus in spiritum, & spiritum in corpus vertere, coire, imprægnare, sublimare, rigare, descendere, cerare, calcinare, solvere, corrumpere, putrefacere, coagulare &c. totum unum est, & non nisi in igne, h. e. calore, cucurbita & descensorio destillare: & ista pro maximo secreto, pater sancte, in ista arte habeatis.

Repro-

Reprobatis opinionibus argenti vivi vulgaris existimo necesse unum Philosophorum lapidem nominare, à quo per ignem extrahitur verum argentum vivum, quod in veram & perfectam medicinam convertitur. Ideoq; celati hujus lapidis nomen claro referabo sermone, quod hucusq; in omnibus libris à philosophorum nemine est detectum. Est autem hic benedictus lapis, lapis mineralis ex argento vivo & sulphure procreatus, sicut quodlibet metallorum: similis autem est ipsis corporibus in natura & complexione, & ideò amicabilis est in conjunctione cum eis: quoniam ex eadem materia est coagulata, inspissata & semiplenè decocta; & in hoc differt ab argento vivo vulgari crudo, quia subtilissima ejus humiditas sive superfluum vaporosum ab hac materia est exhalatum. Et sunt ejus propinquæ partes grossæ coacervatæ & inspissatæ in metallicam duram massam, perfectèq; commixtæ forti unione cum siccis: hæc autem omnia argento vivo desunt, & ideò nequit in profundo naturæ corporibus adhærere. Hujus lapidis compositio

duas continet partes, unam quidem volatilem, alteram verò fixam, & idcircò est medium quoddam inter argentum vivum & metalla. Volatile quidem argento vivo fertur assimilari, & fixione metallis. Nuncupaverunt autem hanc Philosophi volatilem partem spiritum & fixam corpus. Item novum testamentum: Lapis noster est quoddam medium inter argentum vivum & metalla, & est partim volatilis & partim fixus: quoniam aliter non teneret utriusq; naturam. Sed corpus fixum est de corde Saturni, & hoc satis notum est his, qui libros Philosophorum legerunt. Constat autem, quia Sol est sicut Cor in medio erraticorum, & acceptum de montibus, de quo Maria & Aaron ait: Recipe herbam claram & honoratam euntem super monticulos, & tere ipsam recenter, sicut est in sua hora & illa est corpus verum, non fugiens ab igne; ille est lapis veritatis. Hanc autoritatem non intelligit, nisi qui ipsam herbam seminare & excolere novit. Est corpus album & clarum, & ista sunt medicina, pars comparatur

tur & pars invenitur ſuper monticulos. Hortulanus : Sicut videmus naturaliter unum animal generare ſibi ſimile ; ita artificialiter Sol generat ſolem cum multiplicatione in virtute lapidis prædicti. Cauſa ergò erroris in hac arte eſt , quia debitam materiam non accipiunt , ſicut ait Diomedes in turba , venerabili utimini natura , ex ea namque fit ars , non ex alia. Et Alphidius : Lapis ſapientum eſt compoſitus ex quatuor naturis, & in earum propria ſubſtantia & forma: & hæc virtus non eſt in aliquo aliorum lapidum. Et propter hoc non fit opus, nec poteſt eſſe de aliqua alia cauſa , quæ ſit ſuper terram , niſi ſolùm ex iſto ſolo compoſito. Solem autem vocant partem fixam in eorum lapide exiſtentem, propter caliditatem naturalem, quam in minerali decoctione ſuſcepit, quia perſeverat in igne , qua etiam caliditate ſoli comparatur : & à contrario ſenſu, partem volatilem hac decoctione & perſeverantia in igne carentem , Lunæ comparaverunt propter frigidam & aqueam natu-

naturam. Vocatur hæc pars fixa lapidis noſtri ſol, id eſt aurum, propter perſeverantiam in igne, quoniam aurum fixiſſimum corpus eſt, & meliùs in igne perſeverans omni alio metallo. Aurum enim eſt hæc pars fixa, natura, complexione & origine, ſed in opere non eſt ſicut aliud aurum. Quare Philoſophi dicunt, aurum noſtrum non eſt ſicut aurum vulgi, ſed vocatur pluribus nominibus. Unde Eximenus in turba: Nulla fit tinctura vera niſi ex noſtro ære. Et Mirmendus: Creavit Deus aliquantulum lapides, de quibus hanc rem fecit. Iſte ergò lapis duas habet in ſe partes, unam quidem volatilem & alteram fixam, ut dictum eſt.

Praxis totius operis.

Primum opus hujus proceſſus eſt, operis ſublimatio, extractio ſcilicet ſpiritualis partis extra corporalem, & ſeparatio ab ea, ejuſdemq; ſpiritus purgati elevatio, vel potiùs elevati purgatio & mundificatio, per ſublimationem reiterando, quouſq; mundiſſimus fiat. Niſi enim materia per

ſubli-

ſublimationem mundificaretur, ſua graſſities impediret eam, ne efficeretur medicina, ſicut ait Menaldus in turba: Spiſſum terreum non tingit, verùm tenue naturæ, quod eſt in corpore, niſi transfiguretur & coloretur; ideò æs non tingit niſi tingatur. Alphidius, ſit ignis inter fortem & lenem, uſq; quo receſſerit ſpiritus à corpore & aſcendit in altum ſic, ſicut aſcendunt nubes ſuper terram, & remanebit corpus in fundo vaſis ſine ſpiritu in eo. Et Belus in turba: Nihil aliud eſt hujus artis ſcientia, quàm vapor & aquæ ſublimatio. Eſt ergo primum opus ſublimatio hujus rei ſive animæ, quoniam anima appellatur à quibuſdam Philoſophis, ſicut ait Morienus dicens: Recipe ovum & igneo percutito gladio, ejuſq; animam à corpore ſequeſtra: hæc eſt enim certitudo, qua corpus diſcernitur. Quidam etiam eorum hanc ſublimationem vocant diſſolutionem, quidam ablutionem, quidam deſtillationem: quia res quæ ſublimatur in ignitione liquatur antequam ab igne volat. Cumq; omne liquabile ſit de natura aquæ, ideo ſublimationis opus vocaverunt diſſolutionem in aquam.

aquam. Item cum ſublimatur, in fumi ſpeciem aſcendit, & omnis fumus eſt aqua ſicut notum eſt. Tertia ratio, vocaverunt ſublimationem diſſolutionem, quoniam ligamen à natura factum, ingroſſando materiam & uniendo terreſtreæ & aduſtibiles partes cum ſubtilibus aquoſis rumpitur & diſſolvitur per ignem: ita quòd partes ſubtiles mundiſſimæ, relictis groſſis corrumpentibus elevantur. Unde Orpholcus in turba: Omne corpus diſſolvitur cum ſpiritu, cui mixtum eſt, & procul dubio corporale fit ſpirituale. Cum autem ſublimatur hic ſpiritus vocatur aqua, quæ quidem aqua ſeipſam lavat & mundificat, quando ejus ſubtiliſſima aſcendit ſubſtantia, partibus corrumpentibus prætermiſſis. Quare vocaverunt ſublimationem ablutionem. Et idcircò novum teſtamentum ait: Lapis debet primò cognoſci, cujus ſit generis vel naturæ, & poſtea debet mũdari per ablutiones, fuſiones &c. Deſtillationem verò vocaverunt hoc ſublimationis opus ratione hac: quia ſicut deſtillando aſcendunt aquæ in fumi ſpeciẽ ad alembicum, ita ſublimando hæc aqua

noſtra

noſtra & ſpiritus aſcendit in fumū ad ſummitatem vaſis philoſophici. Et ideò dicit Rhaſis in libro perfecti magiſterii, Hermes in ſuo ſecreto dixit: portavit illud ventus in vētre ſuo, per quod intelligit deſtillationē.

Sequitur de dirutione corporis, quod in fundo remanſit, cōtritio atq; pulveriſatio per ignem, quæ duabus fit de cauſis: una quidē ut per hanc dirutionē ſolvatur ligamen et rumpatur cōſolidatio partium terreſtriū et aduſtibilium, ut à ſubtilibus ſeparentur. Alia verò, quæ ab hac dependet, ut ſcilicet à diruto corpore faciliter extrahatur anima ſubtilis et tingēs, quę ſpiritui prędicto mixta in verū cum eo convertitur elixir. Hāc quoq; dirutionē fieri debere aſſerit Belus in Turba; dicens: Recipe ſpiritū nigrū ventrem habentē, et eū diruite et cruciate quouſq; alterentur. Et Aſcan⁹: pugnā irritate æriſq; corp⁹ diruite, donec pulvis fiat. Et Morienus: recipe ipsū et ſicco igne operare quouſq; ex ipſo exeat ſpirit⁹, quē in eo invenietis qui dicitur Avis Hermetis, quē in tēpore optimo cuſtodies. Et recipe cinerem de quo phil. locuti ſūt, ubi dixerūt. Ne cinerē vilipendas in inferiori teſtæ loco exiſtentem.

tem, in eo enim est diadema cordis, qui permanentium cinis est. Et Hermogenes: inspicite qualiter pictores suis pingere nequeunt tincturis, quousq; in cinerem eas vertant. Similiter medici suis ægrotis medicinas componere nequeunt, quousq; cinis fiant, quædam vero teruntur manibus. Similiter & illi qui marmoris imagines componunt. Vos autem si prædicta intelligitis, scietis utiq; me verum dixisse. Ideo jussi vos corpus comburere et in cinerem vertere. Item Lilium: aqua cum introivit in corpore, vertit spiritum in terram deinde in pulverem seu cinerem.

Ab hoc vero diruto corpore extrahenda est subtilissima substantia, quæ vocatur anima tingens. Menaldus in Turba: Scitote quod corpus nõ tingit seipsum, nisi spiritus extraheretur ex ventre ejus occultus, et fieret corpus, et anima atq; spiritus, quæ est spiritualis natura, ex qua colores apparent mirabiles. Et Lilium: nisi spissa corporum naturâ corpore carente diruantur, quousq; corpora fiunt incorporea, spiritus scilicet tenuissimus, non potestis

ſtis illam animam tenuiſſimam ad tingendum extrahere, quæ in naturali ventre occulta eſt. Neq; corpus tingit niſi tingatur, neq; corpus penetrat corpus, verùm ſubtilis natura, quæ eſt anima, corpus penetrat & tingit.

Modus extrahendi animam à corpore diruto, & declaratio, quid eſt anima, corpus & ſpiritus.

Porrò anima à corpore diruto conjunctione ſpiritus ſublimati prædicti extrahitur : cum enim ſit fixa nequit elevari, niſi volatilis admixtione, nec à groſſitiebus etiam ſeparari niſi volatilitate ſibi adveniente. Quod teſtatur Dodalus in Turba : Significo vobis, quòd non poſſit illam occultam extrahere animam, niſi per Etelye, qua corpora non corporea fiunt coquendi continuatione, & etelye ſublimatione. Sciendum ergò quòd in lapide noſtro eſt dare corpus, ſpiritum & animam, diverſimodè tamen, quoniam antequam de ipſo fiat operatio, eſt in eo cor-

pus intrinseca ejus natura fixa, spiritus verò volatilis ejus substantia, anima verò virtus istius materiæ, qua possibilitatem obtinet ad suscipiendam subtiliationem, fixionem & convertibilitatem in elixir. Licet enim totus lapis possit dici corpus, quia omninò quod potest videri, est corpus. In hac autem arte omne volatile dicitur spiritus, & omne fixum corpus. Cum autem venit in operationem, dicitur in eo corpus pars fixa, volatilis verò pars spiritus dicitur. Anima tribus modis accipitur à philosophis: dicunt enim quidam eorum animam partem volatilem ipsius lapidis, quem vocant ovum, & sic idem erit cum spiritu sicut ait Morienus: Recipe ovum & igneo percutito gladio, ejusq; animam à corpore sequestra. Alibi vocant animam subtilem substantiam, quæ extrahitur conjunctione spiritus à corpore diruto. Alii vocant animam subtiliationem & resurrectionem ad vitam, quæ advenit huic subtili substantiæ corporali fixæ, beneficio spiritus volatilis prædicti, quando simul conjunguntur. Et hoc modo veraciùs sumpto puto ani-

animam: unde Morienus: hæc ars non erit mira, donec ignea natura ab igne viviſcit, & igne fimi equorum ſequeſtrata eſt, & arte complexa eſt: ibi enim fit coadunatio, & totum in eo fit anima, & ad vitam converſio. Poſtquam verò medicina omninò eſt perfecta, tunc ſimiliter eſt in ea dare corpus, ſpiritum & animam. Corpus quidem totam ejus ſubſtantiam fixam ignis pugnæ reſiſtentem, ſpiritus verò eſt in ea ſubtiliatio perfecta & purgatio debita, quibus ſemel ſpiritualis fuit facta tota. Anima autem dicitur virtus ejus ingreſſiva, penetrativa, tingens, fixativa omnis rei volatilis in corporibus purgatura quoq; & perfectio perfectiva introducens omne complementum perfectionis in imperfectis.

Quarta pars operis eſt conjunctio maſculi & fœminæ, ſcilicet corporis & ſpiritus: reſtat ergò ſubtiles ſubſtantias corporalem & ſpiritualem conjungere; quorum conjunctionem amborum duabus de cauſis fieri eſt opportunum, una quidem ut corporis fixi admixtione ſpiritus volans ab eo retentus in igne fixationem ſuſcipiat:

alia verò, ut ipsius spiritus beneficio corpus inspirituale fiat spirituale, quo quidem sibi adveniente ascendit ex eo subtilissima substantia, quædam aqua aurea, & remanent ipsius superfluitates terrestres. Et de ista conjunctione testis est nobis Diomedes in Turba dicens: Conjungite masculum servi rubei suæ odori feræ uxori, quo peracto communiter artem gignunt, quibus noli introducere alienum. Et Arisl. in visione; generatio à masculis & fœminis, & maximè ex composito. Maribus namque fœminas ducentibus gaudet natura & fit generatio verax. Conjungite ergò Gabricum sorori suæ Bejæ. Et Lilium; quo lapide noto & ejus operatione, nihil aliud est, quàm opus mulierum & ludus puerorum. Nam arcanum operis fit ex masculo & fœmina, vi enim masculi recepta gaudet fœmina, eò quòd masculo adunatur vel meliùs adjuvatur. Masculus verò à fœmina accipit tingentem spiritum. Idem, cum masculus & fœmina conjunguntur, fit mulier non fugiens, compositum verò spirituale.

Quali-

Qualiter in hac conjunctione totum debet fieri ſpirituale & volatile.

In hac verò conjunctione corporis & ſpiritus ſuper ignem faciendus eſt ignis lentus, & ingeniari debet artifex, ut corpus ſpiritui admixtum ſpirituale fiat. Prout Aquofales in Turba dicit: ô natura qualiter hoc corpus venit in ſpiritum. Et Simon: hoc regimine ſpiritus incorporatur & ſpiritus in corpus vertitur, & è converſo. Et Dodalus, philoſophi aquam nominaverunt permanentem, contrita enim cum corpore, quod vobis ante me Philoſophi expoſuerunt, nutu Dei, corpus illud in ſpiritum vertit. Sibi enim invicem mixta, & in unum redacta ſe invicem vertunt. Corpus enim incorporat ſpiritum, ſpiritus verò corpus in ſpiritum tinctum prout ſanguis vertit. Et Aſcanus: nonne videris hominis compoſitionem ex anima & corpore conjunctam, ſic enim oportet nos conjungere, eò quòd Philoſophi cum res paraverunt ac conjunges conjunxerunt, aſcendit ex eis aqua aurea. Maſcu-

lum verò fœminæ, quæ vapor fit & argentum vivum, conjungere, quouſq; maſculus & fœmina fiant etelye: qui enim eos per etelye in ſpiritum vertit, deinde rubeos facit omne corpus tingit. Et Horſolcus: benedictum ſit nomen ejus, qui ſapientibus inſpiravit corpus in ſpiritum vertere. Et Lilium: aquam noſtram venenum igneum appellavit Maria; & toxicum, ſpiritus enim eſt per quem corpus vertitur in ſpiritum. Et Calid: Natura naturam ſequitur, & natura naturam volare facit. Et Plato: Spiritus à corpore ſeparatus & in altero ſpiritu occultus factus eſt uterq; fugiens, quod ſapientes dixerunt, fugientem januam reſeraſſe non fugientis. Et alius, oportet corpus liquefieri ut à ſuo corpore alteretur natura, quouſq; diſſolutione corpus diruente ſpirituale fiat, & tenue. Reddite ergò ei ſuam animam, quæ ei fuit eſſentia & vita. Et Hermogenes: opus noſtrum niſi coquatur diligenter, quouſq; pulvis fiat, & ſperma ſpirituale, non exibit color, quem inveſtigatis. Si verò ad hunc regiminis terminum perveniatis, propoſito habito contemporanęorum veſtrorũ principes eritis.

De

De materiæ fixione per ignis decoctionem.

Facta tota materia ſpirituali, continuanda eſt in ea decoctio, quouſq; figatur fixione perfectiſſima, omni ignis examini reſiſtenti. Inter omnes autem lapidis operationes fixio eſt magis vulgaris & nota. Nemo enim ignorat omnem medicinam, nõ fixam in aliquo corpore projectam, perfectam tranſmutationem non poſſe in illo operari. Quoniam cum ſit volatilis ignis indicia non expectans in fuſionibus & ignitionibus, à corpore recedit in quo projecta fuerat, ipſo corpore in ſtatu priori vel eo decoctione relicto. Et quia etiam medicina volans in corporibus projecta frangibilitatem operatur in eis, ſicut videmus in medicinis levibus, quibus brevi temporis ſpatio fiunt tincturæ non fixæ: fixionem autem huic materiæ dari debere vobis innuit Parmenides in Turba dicens: frequenter in libro invcſtigate, ut veritatis naturas ſciatis & qualiter complexantur ſe invicem illæ naturæ, & concor-

des fiunt, donec in igne lento fiant simul. Et Menaldus : Hocutiq; regimine, si intelligatis, corpora fiunt incorporea, & incorporea corporea. Si enim diligenter res igne teratis, & ethelia purgatis, fiunt res mundæ non fugientes. Et Horfolcus: quòd unum comburit unum & diruit, & unum confortat unum, & docet eum contra ignem præliari, & idem corpus fit spiritus, & spiritus fortis contra ignem pugnans.

De diversis coloribus in operatione fixationis apparentibus, & de modo ignis.

Notandum autem, quòd in hac fixione diversificatur modus ignis materiam coquentis, & apparent varii colores in materia. Omnes enim colores mundi ostenduntur in ea : inter quos principaliter tres apparent colores indifferentes, quando materia de uno principalium colorum ad alium transformatur: sicut est citrinus color & alii de quibus Philosophi paucam faciunt mentionem: eò quod parum perseve-

ſeverant in materia, utvix in ea videantur ab artifice. Principalium verò quilibet colorum ſe oſtendit in materia quatuor diebus & amplius, licet etiam ſecunda citrinatio, illa videlicet quæ poſt dealbationem ante rubificationem apparet, ſatis in materia perſeverat, quare philoſophorum quidam ipſam pro principali colore computant: quia verò in practica operis hujus ipſam non vidi tantum in materia perſeverare, ſicut tres dies ante dictos colores, ideò pincipalem eum non dico. Hi autem, niger & rubeus, colores bis apparent, ſed ſecundi veriores. Unde Bacſen in Turba, venéramini ſuam uxorem, & nolite eos comburere, quoniam neſcitis quando indigetis his quæ regem & ſuam uxorem emendant. Coquite ergò eos donec nigri fiant, deinde albi, deinde rubei, deinde tingentes inſeparabili tinctura & fiat venenum. Et Mirenus: id denigratur bis, citrinatur bis, & bis rubet, ſecundus autem rubor eſt tingens, qui non eſt niſi poſt dealbationem. Et Lilium: Citrinatio, quæ fit inter album & rubeum in decoctione

non dicitur color. Et Florus: cum videritis jam nigrum, ſcitote quòd tunc albedo illius in ventre nigredinis occulta eſt: tunc autem oportet illam extrahere albedinem ab illa nigredine ſubtiliſſima ejus quo ſcis eam diſcernere. Secunda autem decoctione ponatur illa albedo in vaſe cum ſuis inſtrumentis, & coquatur benè quouſq; omnia alba fiant. Videntes autem omnes hujus artis inveſtigatores illam albedinem apparentem, & omnibus ſupereminentem in vaſe, eſtote rati, quòd rubor in illa albedine occultus eſt. Tunc autem non oportet vos illud extrahere, verùm coquere, quouſq; totum rubeum fiat albiſſimum ſimili carens in terra.

De primo colore qui eſt niger, & de regimine ignis in eo.

Nullus decipiatur per iſtud capitulum, quia licet loquatur de initio operis & primo colore, non tamen intelligitur de primo totius operis, ſed de ſecundo, quan-

quando componitur elixir ex fixo & volatili. Est ergò primus color apparens in materia niger, quia in principio decoctionis apparet, in qua quidem decoctione lentus adhibeatur ignis, ne fugiat ab eo materia spiritualis. Decoctione quidem levi conjunguntur masculi & fœminæ complexiones & naturæ, & fiunt res una coquendi continuatione, cujus conjunctionis signum ipse primus color ab ambobus apparens, sicut ait Florus in Turba; Illud nigrum emendavit, quod inter fugiens & non fugiens pacem componens eam in unum reduxit. De hac etiam levi decoctione loquitur Lilium dicens: Liquefactio in levi igne est toties iteranda continuò, ut nigredo prima facie in opere occurrens recedat. Et Orpholcus: Scitote quòd in initio miscendi oportet vos elementa cruda aurea, sincera, super ignem levem commiscere, & cavete ignis intensionem, quousque elementa conjungantur, & se invicem consequantur & complectan-

plectantur complexione, qua paulatim comburantur, quousq; in illo levi igne deficcentur. Et alius: Scitote quòd hujusmodi primus est fructus, cavete igitur ignem, qui est inimicus frigori; ideo jusserunt sapientes nos suaviter regere. Et Simon: Scitote quod si insipienter ipsum regatis, istorum colorum nihil videbitis. Et Lucas: cavete ignis intensionem, quoniam si intendatis ignem ante terminum, rubeum fit, quod nihil vobis prodest: eo quod in initio regendi vultis albedinem, deinde coagulatis ipsum, deinde rubeum facitis.

De secundo colore, qui est albus, & de regimine ignis in eodem, & separatione terræ foliatæ.

Transacto colore nigro, veraq; albedine apparente, signum est materiam ad fixationem appropinquare: color ergo albus ignis fortificatione à nigredine extrahitur, ut testatur Pythagoras in Turba: quantò magis varia buntur colores, tantò magis calefieri, finito autem hoc quidem colore materia fixa est. Sicut ait Lucas:

Ma-

Magneſia cum dealbatur ſpiritum fugere non dimittit : apperente vero colore albo, oportet materiam in calcem redigere, ut in ſequentibus oſtendetur. Et tunc ultimò ſuperfluitas à compoſito per ignem extrahitur, & ſeorſum materia ſub materia, ut ſpongia, elevata, & eſt videlicet terra nigra perſpicua foliata, ad modum calcis, quæ ſeipſam oſtendit compoſiti inimicam. Incommiſcibilis enim eſt eidem ullo artificio, poſtquã ſemel receſſit ab eo: & ſi in ipſo compoſito remaneret, noceret nigredo propter ſuam groſſitiem, & in colorando colore perfecto corpus deficeret propter ſuam nigredinem, & in alteratione imperfecta maneret propter ſuam impuritatem. Separatur autem hæc ſuperfluitas à compoſito in calcinatione, quæ in præcedentibus decoctionibus non fuerat ſeparata, & non poteſt in eodem ampliùs permanere propter ſui denudationem a-liorum quorundam groſſiorum ſuperfluitatum in proceſſibus præcedentibus ablatarum, quibus erat utiq; protecta. Et propter etiam conſumptionem ſuæ viſcoſitatis

fitatis ab igne, qua partibus ſubtilibus adhærebat. Et hac ratione dicunt philoſophi, quòd albedo ex nigredine extrahitur; quodq; rubedo non extrahitur ab albedine, quoniam tunc ibi nihil eſt ſuperfluum, ſed jubent coquere, donec rubeum fiat. Et de hac terræ ſeparatione loquitur Balcus in Turba dicens: Coquite levi igne quouſq; dealbatum videatis, deinde aceto extinguite, & unum ex tribus jam à ſociis ſeparatum invenietis.

Qualiter fixio dicitur coagulatio rei ſolutæ.

Quemadmodum materia, cum fit ſpiritualis dicitur diſſoluta, ut ſuperiùs extitit declaratum, eo modo fixationem vocant coagulationem eò quod res quæ erat de materia fumi & aquæ converſa eſt ad terræ naturam in igne permanentis; de qua converſione in terra loquitur Hermes pater philoſophorum in ſuo ſecreto dicens: Vis ejus integra eſt, cum verſa fuerit in terram, h. e. ad fixationem, ut exponit Rhaſis in li-

in libro perfecti magisterii. Et Calid de elementorum in terram conversione loquens ait. Scio quod essentiarum transmutatio non fit nisi ex igne transmutatio scilicet ex elementis & eorum quies non nisi ex terra, eorumq; transitus non fit nisi ex aqua, eorumq; aqua non fit, nisi ex igne. Et Morienus: Scito quod terra priùs aqua fuerat, deinde in lapidem vertitur, & petrosa facta est, aqua vero priùs aër fuerat, deinde liquefactus est, & inspissatus, & in aquam versus est, aëris autem principium ignis erat, ignis vero principio caret suo creatore excepto.

De prædicta vero coagulatione loquitur Lucas de Turba dicens. Sit ignis noster lenis in dealbando, donec coaguletur: Et Hermogenes: Æs nostrum cum priùs coquitur aqua fit, deinde quanto magis coquitur, tanto magis inspissatur. Et Ascanus: distinguunt & dividunt aquam, quia oportet vos altera parte æs nostrum comburere: illud enim incidens in illam

aquam

aquam, fermentum dicitur auri, si benè regatis ipsam : nam simul coquuntur & liquefiunt ut aqua, deinde in coquendo coagulantur & tunc rubor apparet : dicunt autem ; oportet vos residua aqua septies imbuere, quousq; bibant totam aquam, & toto humore desiccato in terram vertatur aridam. Et Diogenes : Cum totum magnesiæ corpus ut aqua est liquefactum, tunc omnia vapor facta sunt, & invidi vaporem nominaverunt, eo quod simul in decoctione junctum est utrumq; & unum alterum continet; tunc vero ei ad fugiendum iter non evenit, & permanentia facta sunt : cum enim incidit occultum in corpore cum eo congelatur in corpore.

Sexta pars operis, quæ est Calcinatio rubeum colorem introducens.

Licet in albo colore jam inceptum fuerit calcinationis opus, hic tamen principalem lapidis Philosophorum partem operationis ipsam nuncupo ; quia opus est valdè necessarium & à pluribus ignoratum,

tum, phantasticè asserentibus nos eo non indigere. Et quia etiam rubeum colorem, in quo est ultima perfectio, introducit, hic ostendo calcinationis pluribus de causis nos indigere modis. Scimus enim, quòd cum hanc in volatili corpore projicimus medicinam, necesse est eam in ipsum auri fixionem introducere. Et sic oportebit medicinam ipsam majorem auro fixionem obtinere; quam ab igne recipere non potest, nisi calcinationis colore. Alia autem ratione patet hujus assertionem fore verissimam: hujus namq; elixiris modica quantitas infinitam volatilis quantitatem figit. Ergò necesse est ipsam in tantum immensæ fixionis abundare virtute, ut per totius massæ volantis partes diffusum, ubiq; possit debitam introducere fixionem. Oportebit itaq; illum extremæ actionis ignis virtute, quæ est calcinatio, hanc abundantiam fixionis recipere. Tertia verò ratione calcinare oportet ad hoc, ut per ultimam & majorem ignis actionem materia rubefiat, & sic ultimæ perfectionis colore scilicet ru-

beo sit insignita. Nisi enim per omnes transeat ignis actiones non erit permanens color, quin imò, si materia ignis calore modico rubesceret, sequeretur, quòd si major ignis vigor eam tangeret, ille color deleretur & alius color appareret; & sic rubedo non esset ultima perfectio quàm materia lapidis decoctione ignis suscepit, & tunc mendacia remanerent philosophorum dicta. Quarta autem ratio calcinationis est, ut ignis intensissimum rubedinis introducat colorem in materia. Cum enim illius modicum pondus super multa non colorati corporis pondera non projiciatur, necesse est illa rubedine abundare, ut rubor ille, qui per corpus album diffusus, citrinitatem auri, qui est color medius inter album & rubeum, introducat. Quinta autem ratione calcinare est utile, ut materia calcinationis habilitetur ad dissolutiones suscipiendas, quibus post calcinationem indigemus, ut in sequentibus ostendetur. Hoc autem calcinationis opus approbat Geber in capitulo de medicinis tertii ordinis ultimo:

calci-

calcina per modum ſuum, & ſic pretioſiſſimam lapidis terram rexiſti ſufficienter adminiſtrando.

Et idem in cap. calcinationis dicit: Cauſa inventionis calcinationis ſpirituum eſt, ut ipſi perfectè figantur: quoniam omne genus calcinati fixius eſt non calcinato. Et Plato: fige totum in rabido igne. Et Lilium: primò in noſtro opere omnia denigrantur, ſecundò dealbantur, tertiò per majoris ignis intenſionem compoſitum incinerare oportet, & ſic rex diademate rubeo coronatur. Et Hermogenes: Ideoq; moneo vos doctrinæ filios illam rem abſq; timore comburere, quouſq; cinis fiat. Et Horfolcus: factæ ſunt illæ res, quantò magis ignis flamma occupantur.

De inſtrumentis ad hanc rem neceſſarijs.

Reſtat ultimum declarandum, videlicet, quæ ſunt inſtrumenta vel vaſa, ubi hæc res pretioſa generatur. Et eſt ſciendum, quòd non eſt niſi unum vas, quod Philoſophi multis, & infinitis nominibus nominaverunt. Vocant enim vas ſubli-

mationis, deſtillationis, putrefactionis, calcinationis, diſſolutionis, incerationis, & omnibus aliis nominibus prædictis, & adhuc aliis pluribus: Sicut aludel, rima, deſcenſorium, botum barbatum, vas cum longa fabrica, alembicum & multis aliis nominibus de quibus longum eſſet enarrare. Et totum iſtud fecerunt, ut ad notitiam iſtius non poſſet perveniri. Unde Philoſophi, ut per prædicta videre poteſtis, ſummè finis verbis metaphoricis tria occultaverunt, & eſſe ſecretiſſima voluerunt, videlicet Materiæ, modum generationis, calorem & vas. Deſcriptio vaſis ſatis ponitur per Gebrum, & debet ſemper eſſe de vitro, cum ſolum vitrum & ſibi ſimilia poris careant, alia autem non, quia per poros eorum ſucceſſivè diminuuntur & evaneſcunt. Nec etiam metalla in hoc valent, quoniam ſpiritus propter ſuam convenientiam in illa penetrant & uniuntur, quare per illa tranſcuntes evaneſcunt; hinc ergò à ſuſceptione alius rei quàm vitri Philoſophi ſe excu-

excusarunt. Hæc est tota descriptio vasis, quod ego §. V. depictum apportabo, quia per verba Philosophorum difficulter haberetur. Dictum enim vas descripserunt Philosophi ad modum vasis naturalis, & in hoc completur arcanum pretiosissimum, quod est super omne hujus mundi arcanum, & est Thesaurus incomparabilis. Si omnia præcedentia benè intelligetis, sequetur quod Socrates dicit: Jam albi plumbi vobis regimen demonstravi, quod aliud non est, quàm opus mulierum & ludus puerorum. Vocatur autem benè opus mulierum & ludus puerorum, quia mulieres loturas pannorum facientes, multoties aquam aut lixivium imponentes & è converso exprimentes, & circa ignem calefacientes, donec earum panni & quicquid laverunt mundissimi erunt. Et ludus puerorum, quia sedentes in arena vel pulveribus arenam vel pulverem impastantes, & per totum nihil aliud facientes eorum finitur ludus. Sic hæc & alia omnia, quæ à philosophis sunt tradita subtiliter ingeniet, & ad naturæ possibilitatem exponat hujus

artis indagator. Laudetur ergò, ut ait Geber, benedictus & glorioſus Deus altiſſimus, qui creavit illud, & dedit illi ſubſtantiam & proprietates, quas non contingit ullam ex rebus in natura poſſidere, ut in illa poſſit inveniri potentia propinqua perfectionis per aliquod artificium, quàm quæ in illa invenitur. Ipſum enim eſt, quod ignem ſuperat & ab eo non ſuperatur, ſed in eo amicabiliter quieſcit eo gaudens. Ideò etiam benè dixit Frictes: O natura qualiter omnibus imminet, ac omnia ſuperat: qui enim ſemel iſtam rem perfecerit, non indigebit iteratione operis ejus unquam. Et Hermes dicit; qui filios rubicundi ſervi & candidæ mulieris deſponſare ſciverit, ipſos in infinitum multiplicabit. Quod vobis juxta cor veſtrum præſtare dignetur, qui vivit & regnat Deus per infinita ſeculorum ſecula, Amen.

Explicit tractatus Fratris Ferrarii ad Dn. Papam deſtinatus.

JOHANNIS DAUSTENII
Angli

ROSARIUM

secretiſsimum philoſophorum arcanum comprehendens.

Geiſmariæ, Typis SALOMONIS Schadewitz
Sumptibus SEBALDI Köhlers.
M, DC, XLVII.

ΘΕΟΣ

ΠΕΡΙ ΤΗΣ ΤΩΝ ΟΛΩΝ ΔΙΟΙΚΗΣΕΩΣ

ΒΟΣΣΟΥΕΤΙΟΥ

INCIPIT ROSARIUM

Arcanum philoſopho-

rum ſecretiſſimum comprehendens, Au-

thore Johanne Dauſtenio Anglo Philoſopho expertiſ-

ſimo.

DEſiderabile deſiderium & im-
pretiabile pretium hoc com-
poſitum fuiſſe ſupponitur ex
libris antiquorum: Nos autẽ
hoc in ſumma una breviter adunabimus
omnia, ut tibi, cariſſime, chimicæ verita-
tis excellentiſſimum ſimul & certiſſimum
ſufficienter pateat arcanum. Quam qui-
dem ſummam vocitamus Roſarium, eò
quòd ex antiquorum libris tanquam roſas
à ſpinis tibi ipſam avulſimus. Et quia no-
cet veritati quicquid contrariatur veritati
vel rationi, ideò ſententiis veritati per o-
mnia convenientibus, claro ſermone, re-

&to ordine & de verbo ad verbum cum omnibus ſuis cauſis ſufficientibus ſuccinctè trademus, quicquid ex ipſorum libris reperimus neceſſarium ad operis complementum, nihil penitùs ſuperfluum, nullumq; additamentum ad totum magiſterium ponentes. Placeat ergò domino noſtro Jeſu Chriſto nobis immittere ſpiritum intelligentiæ ſuæ.

Univerſa bonitatis Domini opera circulata ſunt & perfecta, ad ipſũ, à quo prodierunt, ſphæricè rotata. Ab initio namq; ſuæ creationis, naturam cunctis præponens, quatuor fecit corpora ſimplicia, ex quibus poſtea conſtituit corpora quæq; mixta. Mixtorum autem quædam fecit intellectiva, quædam ſenſitiva, quædam vegetabilia, & quædam mineralia. Intellectiva quidem cuncta ex raritate elementorum creavit ad ſimilitudinem ſui ipſius. Ad ipſum ideò inquietum eſt cor noſtrum, donec veniamus ad ipſum. Nam omnium elementorum raritas aſcendit ad ignem, qui eſt juxta ſtellas: ideò nos ab iſta creati meritò tendimus ſurſum ad Deum, tanquam ad principium noſtrum. primum.

mum. Sensitiva verò cuncta & quæq; vegetabilia & mineralia ex spissitudine elementorum compositа in species distinxit diversas, quæ omnia, cum dissolvuntur per mortem, non immeritò revertuntur ad terram & aquam veluti ad suam materiam. Nam spissitudo elementorum omnium naturaliter tendit deorsum ad suum centrum, id est terram, tanquam omnium terrea natura constantium matrem. Tertius est terminus, magnitudinis & augmenti, ut in sua specie augmentet unumquodq; suum simile. Et eorum quædam ex partibus sunt dissimilibus, ut carne, sanguine, ossibus, venis, nervis & similibus, ut homo. Quædam ex ligno, corticibus, foliis & his similibus, ut arbor. Quædam verò ex partibus sunt similibus, ut ea quæ per totum sunt unius essentiæ, sicut est videre in metallis. Quæ autem sunt ex partibus dissimilibus in se suum possident semen, unde multiplicantur & crescunt, ut videtur in omnibus animatis & arbustis. Quæ verò è partibus constant consimilibus non multiplicantur nisi ad suam primam reducantur materiam. Quare dicit

philoſophus, ſciant artifices Alchemiæ, ſpecies metallorum transmutari non poſſe, niſi fortè in primam reducantur materiam, & tunc quidem transmutantur, & in aliud, quàm priùs erant, convertuntur. Et illud ideò quia corruptio unius eſt generatio alterius, tam in artificialibus, quàm in naturalibus. Ars enim imitatur naturam & in quibuſdam corrigit & ſuperat eam, ſicut mutatur natura infirma Medicorum induſtriâ. Nam natura non conſtruit domum, nec conficit electuarium, quoniam de ſe non habet motum ad hoc faciendum, ſic etiam lapis noſter, quamvis in ſe tincturam naturaliter contineat, (nam in terra perfectè creatus eſt) tamen per ſe non habet motum, ut fiat Elixir perfectè completum, niſi moveatur per artem. Aliquando ergò ars perficit quæ natura non poteſt operari: ars verò imitatur naturam & naturalia perficit, in quantum apta nata ſunt perfici per naturam, & ideò ſuccurrendum eſt per artem, quia quædam omittuntur per naturam. Nec eſt differentia inter naturam & artem, niſi quòd ars agit exteriùs, natura verò interiùs opera-

operatur. Ars enim tanquam organum naturæ administrat motum, ipsa quidem per se agit, quando ad suam vertitur perfectionem. Omne ergò corpus aut est elementum aut ex elementis compositum: sed omnis compositionis generatio ex quatuor elementis consistit simplicibus: quare oportet necessariò, ut lapis noster deductus sit ad primam originem sui sulphuris, & Mercurius dividatur in elementa, aliâs depurari non potest, nec conjungi, quia partes ejus minimæ non possunt ingredi in minimis partibus corporis: divisus autem depuratur & iterum conjungitur, & Elixir quod quærimus operatur. Nam experimentum destruit formam ejus specificam novam introducens speciem. Verum post elementorum divisionem non videtur ex eis quicquam nec tangitur nisi terra & aqua. Quia aër & ignis nusquam videntur, nec virtutes eorum sciuntur nisi in prioribus elementis; rara quippe sunt omninò & simplicia, quare ab oculis corporis videri penitùs non possunt. De illis ergò non cures, quoniam sufficit tibi reducere lapidem ad simplicem puritatem.

CAPVT II.

ELementa autem ſunt quatuor, & humores quatuor, ſanguis, cholera, phlegma & melancholia: & modi ſunt quatuor humidus, calidus, frigidus & ſiccus. Elementa ſunt ignis, aër, aqua, terra, quorum duo ſunt amica & duo inimica, duo activa & duo paſſiva. Ignis & aër ſunt amica, ut & aqua & terra; ignis & aqua ſunt inimica, ut & aër & terra. Ignis & aër ſunt activa, aqua & terra ſunt paſſiva, duo aſcendunt & duo deſcendunt, unum eſt in medio & alterum ſub altero, & illud ideò, quia cum contrarium remotum ſit à ſuo contrario, non coadunantur niſi per medium. Caliditas contrariatur frigido & humiditas ſicco: quare liquet, quòd neutrum eorum coadunatur alteri niſi per medium. Igitur quod non eſt contrarium per ſe ipſum eſt adunativum. Sicut calida pars ſiccæ coadunatur quoniam in nullo contrariantur, ideò ex illis coadunatur elementum ignis. Sic calidum & humidum non contrariantur invicem; quare ex illis reſultat elementum aëris.

Nec

Nec contrariantur insimul frigidum & siccum, ex quibus generatur elementum terræ; nec etiam frigidum & humidum ex quibus congregatur elementum aquæ. Sic calidum & frigidum non coadunantur nisi per medium, videlicet per siccum & humidum, quoniam per se nolunt simul stare, cum unum obtundat reliquum propter suam contrarietatem, ideoq; simul stabunt per humidum & siccum, cum unum sustineat reliquum. Verùm calidum & frigidum congregant & disgregant unigenea & non heterogenea dissolvendo & coagulando.

Sed humidum & siccum aggregantur & disgregantur constringendo & humectando. Simplex ergò generatio & simul permutatio est elementorum operatio. Liquet ergò manifestè res universas per calidum & frigidum insimul generari, & similiter permutari. Nam gignunt calidum & frigidum vincentia materiam. Cum vero vincuntur agentia liquet quoniam secundum partem violentia indignè fit. Ex quolibet tamen non fit quodlibet, sed determinatum fit ex determinato,

quia non est generatio congrua nisi ex convenientibus in natura.

CAPVT III.

IN dubium ergò revocatur, quid sit de quo philosophi loquuntur, cum nullus illorum illud exprimat. In hoc ergò diversi diversa sanxerunt, cum tamen in uno solo consistat veritas: ipsum certè carè servamus & omnia alia docemus evitare; nam patet per scripta Philosophorum; Rem unam esse, nec alienum quid sibi jungi debere quia nihil convenit rei, nisi quod illi propinquius est ex sui natura: non enim proferunt res nisi sibi similia, nec fructificant nisi fructus suos. Homo quippe generat hominem, & Leo Leonem; sic unumquodq; generat suum simile. Mulus cum sit ex diversis generibus, nunquam recipit seipsum, nec generatum suis similibus parentibus; sic est de omnibus ex diverso genere procreatis: ideò est necessarium, ut elementa sint unius generis, & non diversi, aliâs actionem & passionem nõ haberent ad invicem, cum unum non tangeret reliquum. Ergò cum res ex uno genere sint, radices earum sunt unum.

Diversi-

Diversitas ergo rerum causatur ex diversitate partium suarũ : cognosce ergo mundum ab immundo , quia nihil dat quod non habet. Mundum est unius essentiæ vacuum alterationibus ; immundum est diversum & ex contrariis partibus adunatum, facilis corruptionis susceptivum : horum probatio in Sole patet & Saturno, quia Saturnus omnino corrumpitur , Sol vero minimè, & ideo omnes Planetæ egent lumine illius. Cognitio ergo contrarietatis corporum & suæ creationis principium facile facit hoc magisterium: nam sordes adhærent sordibus, cum sint de genere earundem, sed mundum vincit naturam immundi, non patiens commixtionis defectum. Non quæras ergo in natura quod in ea non est. Quoniam res nõ fiunt nisi secundũ suam naturam, & major corruptio est in re passiva quàm in activa.

Et tinctura est in lapide, quemadmodũ cor in homine. Utere ergo nobiliori mẽbro & simpliciori, & sufficit tibi: Membrũ tamẽ cordis ex corpore est, sicut membrum cerebri ex capite, quia in corde est vis animæ irrationalis , sicut in cerebro vis

animæ rationalis. Sed quod minus habet de angulis est nobiliori & simplici propinquius, sicut propinquior est simpliciori triangulus quàm quadrangulus, quoniam terminos habet pauciores. Principium nostrum simplex non commixtum est rotundum, ergò est corpus simplum nullum habens angulum. Dimitte ergo commixtum & utere simpliciori, quia illud est genus generum & forma formarum, nam ipsum est prius & posterius in Planetis, sicut sol in stellis. Transferam igitur sermonem ad homogenea in natura, licet sint fortia. Nam in habentibus symbolum facilis est transitus. Igitur cum quæsitum tuum sit de genere amborum mundi luminarium, oportet eligere in eo quod est homogeneum ipsorum. Et certè cum hoc genus approprietur homini multùm, scimus quod non perficietur opus nisi per ipsum. Quapropter sic describitur ab Aristotele ad Alexandrum. Decorantur regum diademata lapidibus pretiosis, quorum pulchritudine visus juvatur, animus delectatur, dignitas ornatur, & eorum virtute ægritudines gravissimæ à corpori-

bus

bus expelluntur, sine quibus parum est efficax omnis medicina : quare iis utuntur Medici in suis medicinis ad gravissimos morbos expellendos. Est autem Doctorum verissimum argumentum, quod melior lapis omnium lapidum meliùs valet ad expulsionem omnium infirmitatum. (nota hic de meliore lapide omnium lapidum, quod est aurum per intellectum.) Melior ergò lapis omnium lapidum est ille, qui magis est coctus, & igni proximus, qui plus sustinet ignem & tardiùs frangitur ab igne. Idcircò magis valent lapides pretiosi, ut rubinus & saphyrus, quàm lapides alii, quoniam generantur in loco calidiore, propinquiùs soli & cum majori calore. Et sic etiam in metallis : magis valet aurum quam argentum, quia magis est coctum : & argentum magis quàm cuprum vel aliud metallorum. Et sicut rubinus habet in se omnium lapidum pretiosorum effectum, sic habet & aurum in se virtutem omnium lapidum ductibilium. Nam continet in se omne metallum, tingit ea & vivificat, quoniam dat lumen suum sursum usq; ad Saturnum & deor-

sum

sum usq; ad Lunam, cum sit nobilius omnium istorum ergò aurum capias. Verùm Rubinus proportionaliter ab elementis est complexionatus, cum pro majori parte sui sit ex substantia lucida, ut ex aqua clara; & coaguletur cum sicco & calore magno: ideo neq; cuditur, nec ad alium statum reducitur, nisi ex toto destruatur, quoniam igni ex omni parte contrariatur. Aurum vero, cum sit ex substantia terrea mixta cum aqua per minima, est homogeneum igni ex una parte duarum extremitatum & coagulatur cum frigore post actionem caloris in ipsum: ideo cuditur, funditur, & in igne melioratur; est enim proportionatum meliori complexione, æquali, nobiliori & durabiliori compositione præ omnibus aliis lapidibus pretiosis. Post illud immediatè est argentum, ergò sume & argentum pro lapide. Defectus autem aliorum corporum est, quòd in iis est caliditas aucta aut frigiditas diminuta: sicut dificit frigiditas cupro & ferro, caliditas autem plumbo & stanno. Et natura eorum non potest fieri aurum nisi priùs fuerit argentum, eo

quod

quod nihil transire potest de primo ad tertium, nisi per secundum. Aurum ergo & argentum justè & æqualiter sunt composita, & verè sunt temperata præ omnibus aliis lapidibus qui sub cœlo sunt, ad speciem nostri lapidis pretiosissimi pertinentia. Et certè aurum est Dominus lapidum, nobilius corporum, rex & caput optimum eorum: non enim corrumpitur ab aëre, nec ab aqua, nec à terra, nec ignis minuit ipsum; imo ignis id humectat, decorat & rectificat, & res comburentes illud non comburunt, nec corrumpentes corrumpunt, eo quod ejus commixtio est temperata, & natura directa in æquali caliditate, & frigiditate, humiditate & siccitate; nec in eo quidpiam superfluum est nec diminutum. Nulli ergo lapides quamvis cariores videantur auro, magis valent quam aurum. Cariores quidem sunt, non quia pretium auri excedunt, sed quia rariores & pauciores inveniuntur. De omnibus ergo rebus scibilibus magis valet aurum, quoniam est fermentum

Elixi-

Elixiris, ſine quo nequaquam peragitur: lætificat animam, conſervat juventutem, renovat ſenectutem, & omnem corporis depellit ægritudinem. Eſt enim ſicut fermentum paſtæ, & coagulum lacti in caſeum, & ſicut muſcus in aromatibus bonis. Meritò ergò aurum circumdat partem ſuperiorem Solarem, argentum verò inferiorem Lunarem: unde niſi Solem & Lunam viderem, pro certo dicerem, quòd magiſterium non eſſet verum. Sed quia Solem & Lunam video, certiſſimè ſcio, quod magiſterium eſt verum. Quælibet namq; res augmentat ſuum ſimile, & iſta omnia ſunt homogenea vegetabilium in natura, quare oportet ipſorum augmentum eſſe ſicut eſt vegetabilium. Porrò Sol eſt tinctura rubedinis, quæ transformat omne corpus; Luna verò, cum ſit domina humiditatis, eſt tinctura albedinis. Cum ſole tamen commiſcentur ſpiritus & figuntur per ipſum ingenio maximo, quod non pervenit ad artificem duræ cervicis. Spiritus namq; in naturam ſuam converſus moritur & mortuus videtur, inde poſtea inſpiratus vivit, creſcit & multiplicatur ut

res

res cæteræ. Idcirco nisi Sol purissimus, & Mercurius conversus mortuus fuerit, ipse solus manet: si autem mortuus fuerit, multum fructum affert, & unde videbatur perdidisse quod erat, inde incipit apparere quod non erat. Qui ergo illius destructionem ignorat, constructionem ejus ex actu naturæ necesse habet ignorare. Calcinatur tamen & solvitur labore maximo absq; utilitate. Corporibus ergo aliis non indiges, cum possis habere in istis, quod est majoris temperantiæ & minoris fæcis. Si autem indigueris usu eorum, oportet primo ut convertantur in speciem perfectorum, & tunc demùm incipere operationem in eis. Possibile tamen est, quòd operetur quis in eis, cum in omnibus corporibus insit scientia, sed non erunt ita bona sicut prædicta, quia in majori opere non unius perfectionis sunt corpora omnia diminuta, cùm non ingrediantur illud, donec in compositionis subtilitate fuerint sicut corpora perfecta. Album tamen & rubeum ex una radice, nullo alterius generis corpore interveniente pullulant: nam Luna in

argenti opere ipsum candidum, quod de purissimi Solis materia formatur, nihil eum ipsius coloris retinens designat: ipse tamen Sol absente argento vivo privatur effectu, quia ex materia & forma tantùm fit generatio vera. Totum ergò beneficium istius artis est in Mercurio & Sole, & Mercurio & Luna: sed indiges quòd circa eorum solutionem labores, redigens ea ad suam primam materiam.

CAPVT IV.

PRima autem materia metallorum est argentum vivum, quia cum liquantur, omnia convertuntur ad ipsum. Certum quippe est omnem rem esse ex eo, in quod resolvitur. Gelu resolvitur in aquam calore mediante, clarum est igitur ipsum aquam priùs fuisse. Sic omnia metalla resolvi possunt in argentum vivum, ergò ipsa priùs fuerunt argentum vivum. Hæc igitur nota, de resolutione corporum in argentum vivum.

Benedictus ergò Deus sublimium naturarum creator, qui nobis dedit rationem destruendi & reducendi omnem rem ad

primam

primam ſuam materiam & naturam; puta corpora præparata ad primam originem ſui ſulphuris & ſui Mercurii, ut exeis in paucis diebus faciamus ſuper terram, quod natura eſt operata, ſubtus terram in mille annis. Unde ſi aliud beneficium non haberemus ab argento vivo, niſi quòd corpora reddit ſubtilia ad ſui naturam, deberet nobis hoc ſufficere: ipſum enim eſt amicabile & metallis placabile, & medium conjungens tincturas; quia in ſe recipit quod ſuæ naturæ eſt, alienum verò reſpuit, quia eſt uniformis ſubſtantiæ, in omnibus ſuis partibus homogeneum. Argentum etiam vivum eſt quod ignem ſuperat, & ab eo non ſuperatur, ſed in eo amicabiliter queſcit, eo gaudens. Propter enim bonam partium adhærentiam in ſuæ mixtionis fortitudine, ſcilicet quando partes ipſius inſpiſſantur per ignem, ulteriùs non permittit ſe corrumpi, neq; per ingreſſionem fumoſæ flammæ ſe in fumum ulteriùs ſinit elevari: quoniam mortificationem ſui non patitur propter ſuam denſitatem & aduſtionis carentiam. Veridicè ergò innuimus, corpora ea majoris

esse perfectionis; quæ plus argenti vivi continent, & quæ minus, minoris. Et certè diminutio in corporibus imperfectis est paucitas argenti vivi, & non recta inspissatio ejusdem: quare complementum in illis erit argenti vivi multiplicatio, bona inspissatio & fixio permanens. Studeas igitur, cum in opere fueris Mercurium solummodo superare in commixtione, & si per illum solum perficere poteris, pretiosissimæ perfectionis indagator eris, & ejus perfectionis summa lætaberis, quæ naturæ vincit opus: mundari enim intimè poterit, ad quod natura non pervenit; & sic per consequens opus ex eo poterit creari, quod omnem superabit naturam; quia non est differentia, utrum hoc fiat in organis naturalibus, an in artificialibus. Ex iis ergo elicias secretum, Medicinam nostram necessario ex iisdem esse assumendam, quæ argento vivo maxime adhærent in profundo ejus, & ei per minima commiscentur ante illius fugam: argentum autem vivum argento vivo magis adhæret, & eidem magis amicatur, post illud vero aurum & postea argentum:

tum: alia autem corpora non habent tantam conformitatem adipsum, quia minus de sua pura participant natura. Tum etiã nihil in eo demergitur nisi Sol. Idcirco est necessariũ, quod hæc medicina ex illis potissimum elici debeat, in quibus maximè consistit: est autem tam in corporibus, quàm in argento vivo secundum naturam, cum unius sint reperta naturæ. Sed in corporibus quidem difficiliùs, in argento autem vivo propinquiùs, non autem perfectiùs. Cujuscunq; ergo generis sit Medicina tam ex corporibus, quàm ex argenti vivi substantia, lapidis pretiosi indagatur materia, & illud ideo quia non est transitus de extremo ad extremum nisi per medium: extremum autem metallorum ex uno latere est argentum vivum, ex altero Elixir completum. Medium autem istorum sunt corpera, quæ se elongant ad malleum, quorum alia aliis magis sunt depurata, decocta & digesta; atq; illa sunt propinquiora, quod chimistas non credimus ignorare. Non igitur aberres, quia nulla est tinctura vera, nisi ex ære nostro. Et scias quod omne aurum est æs,

sed non omne æs est aurum; quia de genere ad speciem non est consequentia. Sic omne aurum est sulphur rubeum, sed non omne sulphur est aurum, quia auro nihil inest de corruptione sulphuris. Lapis ergò noster secundum diversitatem suæ operationis habet convertere argentum vivum in verissimum argentum, vel etiam in aurum purissimum, ut patebit in sequentibus.

Hic ergò siste gradum, desinens alium quærere lapidem, stulteq; tuam consumere pecuniam, & animo tristitiã inducere perpetuam; quia quæ semina veris, hæc etiam metes, quia non potest arbor mala fructus bonos facere: non ponas ergò in opere tuo muscas & scarabæos, nec comedas de filio, cujus mater est corrupta, sed frustum de pinguiore carne comede, quoniam stultitia est magna opus tuum facere de pejore, cum possit fieri de meliore. Venerabili ergo utere naturâ, tenebrosorum nominum dimittens pluralitatem, quia huic rei diversa imponunt nomina, quoad diversos colores in opere apparentes. Quando enim crudum est, yocatur

tur argentum virum, aqua permanens, plumbum, ſputum Lunæ, ſtannum &c. quando autem coctum, dicitur argentum, magneſia & ſulphur album: cum verò fuerit rubeum, dicitur auripigmentum, corallus, aurum & fermentum; iſta enim & ſimilia imponuntur nomina propter naturæ ſuæ excellentiam. Quocunq; tamen modo diverſificentur ejus nomina, ſemper eſt una ſola natura; cui non introducesrem alienam, nec pulverem, nec aquam, nec aliam rem. Conſtans etiam ſit voluntas tua in opere, ne modò hoc, modò illud præſumas attentare; quia in rerum multitudine ars noſtra non perficitur. Eſt enim lapis unus, materia una, vas unum, regimen unum, & una diſpoſitio ejuſdem, cui non addimus rem extraneam aliquam, nec minuimus, niſi quòd in præparatione ſuperflua removemus: non enim ingreditur illud, quod non ſit ortum ab eo, nec in ejus parte nec in toto: ſi vero extraneum aliquid ſibi imponitur, ſtatim corrumpitur, nec fiet ex eo quod quæritur.

CAPVT V.

ESt itaq; lapis noſter unus, aqua videlicet permanens, munda, lucida, clara, cæleſtem habens colorem: verum niſi ſit in illa aqua quod ipſam emendet, quod quæritis, non fiet. Solem ſanè honoramus, eò quòd aqua noſtra emendetur ab ipſo: nam abſq; Sole & ejus umbra nullum tingens generatur venenum; qui verò ſine his tincturam efficere credit, procedit ad practicam ſicut aſinus ad coronam. Et illud ideò, quia corpus non agit in corpus, nec ſpiritus in ſpritum, eò quòd forma non recipit impreſſionem à forma, nec materia à materia: nam ſimile non agit in ſuum ſimile, nec ab eo patitur, cum neutrum eorum ſit dignius alio. Nullum ergò eorum agit in alterum, quia par in parem non habet imperium. Veruntamen corpus ſuſcipit impreſſionem à ſpiritu, ſicut & materia à forma, eò quod apta nata ſunt ad invicem agere & pati. Corpus namq; tingit, ſpiritus penetrat: corpus tamen non tingit niſi tingatur, quia ſpiſſum terræ non ingreditur propter ſuam groſſitiem:

ſitiem : verùm tenue aëreum eſt , quod ingreditur , & tingit , & hoc eſt ſulphur corporis extractum per ſpiritum. Non ergò tingit aurum niſi ſeipſum , donec ſpiritus ejus occultus extrahatur è ventre ejus , fiatq; omninò ſpiritualis. Et aqua noſtra viva eſt ignis , aurum comburens, mortificans & confringens magis quàm ignis elementalis , & quantò magis illi miſcetur & teritur per ignem lenem , tantò magis diruitur , aquaq; viva ignea attenuatur. Cum autem fuerit trita & unum quid facta , habet in ſe omnem tincturam ignem patientem. Corpore ergo cum ſpiritu ſic colorato , colorat , & omnem tincturam in ſe habet & donat , ideo qui è Sole & ejus umbra h. e. Luna venenum tingens conficiunt , noſtrum lapidem perficiunt. Veruntamen niſi lapis haberet tam ex ſubſtantia una , quàm altera , non haberet actionem & paſſionem ad invicem , & unum non tingeret alterum. Nam lapis & lignum nullo modo inter ſe habent operationem , cum ſint ex diverſa materia , ſic & in omnibus materiâ differentibus. Quare liquet eſſe

necessarium, ut agens & patiens in genere sint res una & eadem, in specie vero altera & diversa, secundum quod & mulier diversificatur à viro: quia licet in uno genere & natura conveniant, tamen inter se habent operationem differentem, ut convenit inter materiam & formam, & inter agens & patiens. Materia namq; patitur actionem, forma vero agit assimilans sibi materiam. Ideo materia naturaliter appetit formam, sicut mulier appetit virum, & turpe pulchrum. Sic etiam spiritus libens amplectitur corpus, ut ad suam deveniat perfectionem. Cognosce ergo radices minerales faciens ex eis opus tuum, quoniam non possumus lapidem nostrum alio modo nominando exprimere, nec ipsum alio nomine nominare, sed per descriptionem suarum radicum ex parte nominamus ipsum. Et illud ideo, quia lapis noster à philosophis dicitur omnis res, quæ habet in se & de se omnem rem necessariam ad sui perfectionem: omnibus nominatur nominibus, propter naturæ suæ excellentiam, & absconditam & diversam actionem: ubiq; invenitur propter elemento-

mentorum participationem : viliſſimus eſt per putrefactionem, cariſſimus per virtutem: Niger, albus, citrinus ſecundum colorum mutationem. Diverſorum ergò ſuorum nominum poſtpone multitudinem, quia quocunq; modo nominetur, ſemper tamen eſt una ſola res & eadem. Philoſophi certè non curant de nominibus, ſed de nominum proprietatibus, eò quòd per unum dant intelligere reliquum, non enim ſermoni res, ſed rei ſermo eſt ſubjectus.

Medicina igitur noſtra eſt una in eſſentia & in agendi modo ſimiliter: eſt tamen neceſſarium ut illa eadem medicina ſit alba antequam rubea fiat, quia non poteſt fieri rubea niſi primò fuerit alba, eò quòd nemo poteſt tranſire de primo ad tertium, niſi per ſecundum : ſic non eſt tranſitus de nigro ad citrinum niſi per album, quia citrinum ex multo albo & pauciſſimo nigro eſt compoſitum ; ideòq; niſi hanc medicinam primò dealbaveris, verum rubeum facere non poteris. Non ergò differunt inter ſe materia alba & rubea in eſſentia ulla, ſed in hoc quod medicina rubea

bea majori indiget ſubtiliatione & longiore digeſtione ac calore in igne in ſuo regimine: & illud ideò quia finis operationis albi eſt principium operationis rubei: & quod completum eſt in uno, incipiendum eſt in alio. Nam totum magiſterium uno modo incipitur & finitur. Opus tamen rubeum fermento indiget rubeo, ſicut opus album albo.

CAPVT VI.

NOſtri porrò operis vas eſt unum, in quo totum completur magiſterium, & eſt quædam cucurbita cœca non habens ſectionem, ſive vas unum ſolum vitreum, ſpiſſum, undiq; clauſum, cubiti longitudine, ſubtus & ſupra rotundum, ſine poris, planum, & amplum: cujus fundus ſit parvæ curvitatis, parietibus tamẽ planis & amplitudine capitis, ut ſublimandum per illud aſcendat liberiùs. Sic enim cùm neceſſe fuerit, ignis ſubtus & ſupra melius poterit accendi. De alia quidem materia non valet, quàm de vitro, niſi fortaſſis ſimilis eſſet ſubſtantiæ cum illo: quia ſolum vitrum & vitro ſimile (cum corpus

ſit

sit lucidum, transparens, & poris carens) potens est spiritus fugaces tenere, ne exterminentur ab igne, & colores in opere apparentes ostendere, ne operator erret in regimine: alia verò vasa non, quia corpora habent opaca & porosa, per quæ spiritus successivè, id est parum & parum transiens in fumum evanesceret. Et quia proprium est Mercurii per fumositatem ascendere, ideò claudatur spiraculum vasis fortiter & continuè, ne quid per illud possit exire vel subintrare: quia si aër vel alien⁹ humor intraverit, administrationem corrumpet: si verò flos ejus, id est fum⁹ albus, egrediatur & fugiat, totum opus privatur effectu. Regimen autẽ nostri lapidis est unum, & est ipsum decoquere jugiter & continuè in suo vase sine intermissione, donec finẽ consequaris optatum. Philosophi tamen multa posuerunt artificia ad artis suæ veneratioñem & occultationẽ & præsertim in mundificatione, ne sordidum & immundũ quid introducant, ut sunt commiscere, coquere, sublimare, assare, terere, coagulare, adaquare, putrefacere, dealbare, rubificare: hic sunt nomina plurima quorum tamen

men regimen eſt, quod eſt coquere tantùm, & ideo non eſt aliud, quàm opus mulierum & ludus puerorum. Contere ergo, coque, reitera, nec te tædeat pluries hoc reiterare, quia ſi ſcirent philoſophi, quod una decoctio & una contritio ſufficerent, non toties ſua dicta reiterarent, quod ea de cauſa fecerunt, ut compoſitum teratur continuè, & coquatur ſine intermiſſione. Totum tamen regimen ejus eſt in temperie ignis, quia diverſitas regiminum ſuorum eſt à diverſitate graduum ignis, & ordo inter ignis quantitatis expertum demonſtrat artificem: quoniam ignis in ſolutione ſemper erit lenis, in ſublimatione mediocris, in coagulatione temperatus, in dealbatione continuus, in rubificatione fortis. Si verò in iſtis neſcienter erraveris, caſſum ſæpiſſimè laborem deflebis.

Neceſſum eſt ergò, ut ſedulus operi inſiſtas, nec opus detruncatum dimittas; quia nec ſcientiam nec proficuum ex opere dimiſſo acquires, ſed potiùs damnum & deſperationem. Neceſſe quoq; eſt in ſcientia naturalis philoſophiæ eruditum eſſe,

esse, & industria præditum, ut in puncto temporis errori subvenias per scientiam, quia per solam naturalem industriam emendare non posses; nam ars ab ingenio juvatur, & ingenium ab arte. Similiter expedit, te hujus artis principia non ignorare, & radices principales, quæ sunt de essentia operis, nam qui principium ignorat, finem non inveniet. Non etiam nitaris sophisticam operis metam invenire, sed soli vero operis complemento intendas, ne forte Deus, in cujus potentia reservatur ars nostra, ejus veritatem tibi deneget in æternum. Nota ergo intimè de lapidis nostri dispositione, quod est totum opus. Dispositio autem lapidis nostri est una tantum, & est ut ponatur in suo vase, & jugiter coquatur in igne, quousq; totum ascendat solutum: deinde moderandus est ignis, donec suum exhauserit humorem, fiatq; siccum & multùm album: tertiò fortificandus est ignis, quousq; citrinum fiat & multum rubeum: verùm si in operando negligens fueris, istorum colorum nihil videbis. Idcirco cùm in opere fueris, studeas omnia signa, quæ in qualibet de-

coctione

coctione apparent, in mente recondere, & illorum causas investigare, quia hoc multùm necessarium est artifici idoneo ad totius operis complementum, eo quod ignorantes causam necesse habent ignorare causatum. Nota etiam de vase, quod semel semen imponendum est, ut generatio bona fiat & non pluries: & quamvis à philosophis multoties dicatur, pone in suo vase & firmiter claude, sufficit tamen semel imponere & claudere, quousq; totum compleveris magisterium; quod amplius est à malo est, quia si pluries aliquid imposueris, tunc procul dubio aurum non vertitur in rubeum, neq; fiet album: totum ergò residuum ponitur ad artis occultationem. Et certè ad generationem hominis & omnis vegetabilis nunquam, nisi semel matrici imponitur semen: si autem aliud apponeretur, tunc unum destrueret reliquum propter indigestionis cruditatem, aut aëris ingressum vel materiæ superabundantiam: ideò etiam mulieres multis viris sese exponentes varissimè concipiunt, aut si concipiunt abortum pariunt. Sic cruda coctis & indigesta digestis

gestis super ponentes, corpus non nutriunt, sed occidunt; quia de matris sanguine tantum nutritur fœtus, & vivit quousq; producatur in lucem. Ex his ergò patet, quòd pluribus rebus non indigemus ad opus nostrum, neq; magnis opus sit expensis, quoniam unus est lapis, unum vas, una materia, unum regimen, & una dispositio ejusdem ad album & ad rubeum successivè id est paulativè faciendum. Et omnium capitulorum hujus artis, & ipsarum medicinarum pretium non excedit quinquaginta argenteos. Igitur si verteris naturas, pulchrè direxeris, operationem benè coaptaveris, & consanguinea suis consanguineis convenienter junxeris, totum opus perficies: nam naturæ naturis suis obviantes sequuntur eas, & exaltantur in eis; putrescunt namq; & gignunt, eò quòd natura regitur naturâ, diruit naturam, liquefacit & in pulverem vertit. Deinde natura naturam recreat, gignit & innovat, quousque finem operis inducat. Veruntamen quia secundum meritum materiæ dantur formæ, ideò cum natura non præparata non

convenit operari. Optimus autem omnium præparationum modus est, superflua demere & absentia supplere, sic enim tam integra quam corrupta ad perfectum revocantur statum.

Et illud quidem est, ut à rebus siccis, sibi in nullo convenientibus, valdè sublimes Mercurium, quousq; cœlestinum acceperit colorem. Caveas tamen præcipuè in ejus mundificatione à privatione virtutis suæ, ne vis activa suffocetur in aliquo. Nam omnium terra nascentium semina non multiplicantur nec crescunt, si vis generativa eorum per aliquem calorem extraneum tollatur: sic certè nec ista natura multiplicatur, si non præparetur modo debito. Igitur non assumas istam naturam, nisi puram, mundam, crudam, amœnam, currentem, sinceram & rectam; si verò secus feceris, non proderit quicquam. Additamentum autem ejus meliùs depuratur per cæmentum. Ergò cum volueris facere intentionem, solves in illa ligaturam, nam primus gradus suæ præparationis est, ut fiat Mercurius, nec fit hoc donec lenifices per aquæ dominium, &

caloris

caloris motum continuum, ſecundum humanæ generationis modum; in qua ſi humiditas uteri & calor continuus non eſſet, ſperma non maneret, nec fœtus produceretur: ſic oportet in opere noſtro, ut calore temperato fiat, & aqua ſit multa & multum oleum, quia quanta fuerit multitudo aquæ, tanta erit multitudo tincturæ. Suaviſſimum eſt tamen, ut natura regatur ſecundum debitum naturæ curſum, ne per calorem multum vel ejus defectum pereat magiſterium. Nam ſi natura minùs vel plus regatur quàm oportet, ſtatim corrumpitur, nec fit ex eo quòd quæritur. Prudenter ergò & non caſualiter operare, quia natura eſt ſagax & ſolicita in productione ſui ipſius, cujus ſolicitudinis non eſt finis, unde Verſus

Ars non tentetur, niſi naturam comitetur
Hæc non feſtinè, ſed temporis ordine ſine.

CAPVT VII.

SOlvimus ſanè aurum, ut in ſuam primam reducatur materiam, hoc eſt ut verè fiat ſulphur & argentum vivum, quia tunc poſſumus optimè argentum &

aurum inde facere, cum fuerit conversum (in mſ. in materiam primam) in naturam ipſorum; ideoq; debet lavari & decoqui, ut ſit vivum ſulphur & vivum argentum, nam iſta ſecundum philoſophos ſunt materia prima omnium metallorum. Et certè noſtra ſolutio non eſt aliud, niſi quòd corpus revertatur in humidum, & revelatur in eo natura argenti vivi, ſuiq; ſulphuris ſalſedo minuatur: non autem ut revertatur in aquam nubis, ut quidam ſtulti putaverunt: nam ſi reverteretur in talem aquam, fieret tunc ſiccum per vim non per naturam, ad modum ſalium & aluminum, & ſiccum liquefierent ad ignem, converterentur in vitrum: ſed illud eſt falſum, ergò & intentio illorum. Eſt ergò ſolutio noſtra ut tradas Gabricum Bejæ in conjugium: qui cum Beja concumbens ſtatim moritur, & in ejus transfertur naturam. Deinde tranſactis diebus multis, aſcendit ſuper Bejam, transferens ipſam in corpus ſuum. Et quamvis Beja ſit fœmina, Gabricum tamen emendat, eò quòd ex ipſa eſt. Et quamvis Gabricus ſit carior Beja, ſcim⁹ tamen quòd non ſit abſq; ea, eò

quod

quod nulla eſt generatio congrua, niſi ex maſculo & fœmina. Idcirco conjunge ſervum noſtrum rubeum ſorori ſuæ odoriferæ, & inter ſe artem gignent, unde Verſus,

Candida ſi rubeo mulier ſit nupta marito,
Mox complectuntur, complexaq; concipiuntur
Per ſe ſolvuntur, per ſe quoq; conficiuntur,
Vt duo quæ fuerant unum quaſi corpore fiant.

Poſitos igitur in ſuo vaſe claude diligentiſſimè, coquens continuè ad ignem lenem, donec brodium fiant ſaginatum: nam ex principiis naturalibus eſt planum, quod omnis res cujus radix eſt terra, in aquam ſolvatur & fiat currens. Et certè ſecundum Philoſophum terra fit aqua, cum vincunt eam aquæ qualitates: & aqua fit terra, cum vincunt eam terræ qualitates. Sic ſolutio corporis eſt congelatio ſpiritus, & congelatio ſpiritus eſt ſolutio corporis, nam habent unam operationem, quod nō ſolvitur unum, niſi congeletur reliquum. Inunge ergo toxico folium tuū, & fortificabitur tibi in eo operis principium. Ex roratu tamen cœlorū felicia & infelicia germinant in terris; ideo in principio operis

tui adjuva ſolutionem per Lunam, & coagulationem per Solem: nam effectus inde apparebunt, eò quòd inferior deprimitur, cum juvat ſuperior. Superiora namq; inferius dominantur: unde Verſus:

Deſtrue rem captam primò per rem ſatis aptam,

Leniter extractam, ſic maſſam contere factam.

Eſto ergò longanimis in regimine, vas firmiter claude, ac noli ceſſare, quia nulla fit generatio rerum niſi per motum continuum, aërem excluſum & calorem temperatum. Et hujus exemplum eſt uterus mulieris, quæ cum conceperit, immediatè clauditur matrix, & caliditate & humiditate ſanguinis generatur fœtus: nunquam tamen flatus extraneos recipit, niſi cum natus fuerit. Sic & eodem modo noſter lapis in vaſe jugiter maneat clauſus, donec ſuam biberit humiditatem, & calore ignis perfectè nutritus fiat albus, tunc enim naſcitur, nec ipſi aëris nocent flatus. Eſt ergò ſummè neceſſarium continuare operationem, moderare ignem, excludere aërem, & maximè uſq; ad albedinem.

Com-

Combure ergò æs noſtrum levi igne, & ſicut ova nutrias, donec diruatur corpus, & tinctura extrahatur. Non autem extrahitur totum ſimul, ſed parum & parum egreditur omni die, donec in longo compleatur tempore. Et quod ſolvitur ſemper ſurſum aſcendit, licet reſidens ſit majus. Ideò ignem ſemper caveas magnum, ne pervenias ad ſolutionem ante tempus neceſſarium, quia hoc perducit ad remotionem remotam, privans opus ſecundùm operationem & motum. Nam calor intenſus compoſitum perimit, frigiditas fugat, ſed lenis nutrit & conſervat. Poſitum ergò in Balneo temperato contere igne, & non manibus abluc ipſum humiditate ſuæ aquæ, ut non aduratur virtus ejus ignea, nec comburatur ſua ſubſtantia ſulphurea: nam ipſa primò egreditur, cum ſit levior ſeparatione, & dignior operatione, quàm virtutes aliorum elementorum. Continua ſuper eum Balneum temperatum, donec in aquam ſolvatur impalpabilem, & tota egrediatur tinctura in colore nigredinis, quod eſt ſignum ſolutionis veræ: nam calor agens in humido generat primò ni-

gredinem, & in ſicco operatur albedi-
nem, & in albo citrinitatem, ſicut eſt vi-
dere in plumbo, cum ex eo fit minium. In
humido ergo igne rege ipſum continuè,
noli feſtinare, nec ab opere ceſſare, quo-
uſq; corpus diruatur & pulvis fiat ſpiritua-
lis: nam quod pulvis fuerit ſpiritualis, in
vaſe ſurſum aſcendit, quod vero ſpiſſum
& groſſum in vaſe remanet deorſum; i-
deo niſi omnia in pulverem vertas ſpiritu-
alem, nondum ea contriviſti: coque ergo
deinceps, quouſq; convertantur, & o-
mnia pulvis fiant. Et hæc quidem contritio
eſt decoctionis, non manuum, quæ tantũ
debet fieri leni coctione humida, putrefa-
ctione, continua contritione, igne & non
manibus: nam manuum contritione non
egemus. Alkien certè facit hoc, & per eam
perficitur: quia Alkien terra, id eſt quæ-
dam generatio ſecreta in terra, & eſt ſicut
Alkien in homine, illud virtute ſua præ-
parativa clarificat ſemper & dividit ſicut
ſcit & nutrit: natura namq; ſagax eſt &
ſibi ſufficiens in omnibus, quibus indi-
get. Ex opere quidem ſuo eſt, ut con-
vertat terram in aquam, & aquam in ter-
ram,

ram, ſecundum operationem diverſam. Primò ſiquidem conatur aqua ſolvere terram, ut ad modum ſui ſubtilem habeat naturam; ſecundò autem terra coagulabit aquam, ut ſecum ſuſtineat ignem: & hæc eſt ſolutio corporis & coagulatio ſpiritus leni decoctione ignis in 150. diebus: & fortè apparebit albedo in 70. diebus; ſed primum eſt melius quoniam ſignificat temperantiam ignis & bonitatem præparationis. Nihil tamen niſi argentum vivum agit in aurum, eo quod eſt commixtibile & perforativum. Ipſum autem corpus denigrat, conſumit & cruciat, eo quod de ſua conſiſtit natura. Quod vero denigrat, eſt id quod non fugiente januam operit, & non fugiens cum fugientibus vertit; crucians tamen non cruciat nocumento nec corruptione, verùm coadunatione & utilitate. Si enim ejus cruciatus eſſet noxius & inconveniens, non amplecteretur ab illo, nec ſuos extraheret colores, quos a quam ſulphuris nuncapamus. Verunta-men quod primo denigrat, clavem operis eſſe dicimus, quoniã non fit abſq; nigredine, Nam ipſa eſt tinctura, quam quærimus,

in quolibet corpore tingimus, quæ quidem prius occultata fuerat in ſuo ære, quemadmodum anima in humano corpore. Ideò niſi æs noſtrum diruatur, imbuatur & teratur, ac per ſe & diligenter regatur, donec à ſua ſpiſſitudine extrahatur, & in tenuem ſpiritum & impalpabilem vertatur, in vanum laboratur. Quia niſi corpora vertantur in non corpora, & non corpora in corpora, nondum regulam operis inveniſti; & illud ideò, quia non poſſumus iſtam tenuiſſimam animam, omnem tinctur㈠ in ſe habentem, à ſuo corpore extrahere, niſi priùs diruatur, & in tenuem ſpiritum & impalpabilem vertatur. Nec ſolvitur corpus partes habens conſtrictas, niſi per ignem & aquam. Sed aqua noſtra eſt ignis corpus comburens magis quàm ignis. Ideò qui per ſe ea regit, extrahit naturam omnem naturam ſuperantem. Eſto ergò aſſiduus operator in omnibus ſtatibus ſuis, patienter continuando decoctionem, quouſq; tota egrediatur tinctura ſuper aquam in colore picis liquidæ, & cum videris nigredinem illi aquæ ſupereminere, ſcias tunc corpus liquefactum eſſe.

CAPVT VIII.

TUnc oportet ignem lenem continuare ſuper ipſum, donec conceperit nebulam tenebroſam. Intentio quippe philoſophorum eſt, ut corpus jam ſolutum in pulverem nigrum, ſuam ingrediatur aquam, & fiat totum unum. Si verò dicas, qualiter pulvis fiet aqua? Scias quod iſte pulvis non eſt niſi aqua ſulphuris ſoluta calore ignis: De jure ergò aqua ſuſcipit aquam ſicut naturam propriam. Ideò niſi quodlibet vertatur in aquam, nullatenus devenies ad perfectionem, quia non oportet unquam aliquo alio uti in commixtione, contritione & toto regimine niſi illa ſola aqua permanente. Et nota quòd vis ejus eſt ſpiritualis ſanguis, ſine quo nihil fit. Convertitur autem in corpus, & corpus per id ipſum vertitur in ſpiritum: ſic enim adinvicem mixta & in unum redacta, ſe invicem vertunt: nam corpus incorporat ſpiritum, ſpiritus verò corpus vertit in ſpiritum inſtar ſanguinis tinctum. Quia omne quod habet ſpiritum, habet & ſanguinem; quare oportet

iſtam

istam nigredinem aquæ suæ imminentem igne leni jugiter occupari, donec in suam demergatur aquam, fiatq; aqua in aquam, id est donec totum fiat una aqua. Et cum aqua alteri aquæ miscetur, tunc aqua amplectitur aquam, sic ut non possint separari ab invicem. Insipientes autem aquam audientes, putant eam aquam esse nubis: sed si rationem haberent, scirent utiq; eam esse aquam permanentem, quæ tamen absq; corpore suo, cum quo soluta est, & facta sunt unum, permanens esse non potest. Hanc autem aquam philosophi dixerunt aquam Solis, igneum venenum, & bonum multorum nominum. Ideo oportet nos, cum hanc aquam formam sulphuream habentem possidemus, aceto nostro miscere, ut ejus nigredo deleatur. Redde ergo carbonem suæ aquæ, ut in ea extinguatur, & rerum conceptio fiat: unde Versus:

Igne tepescente caleant fervore carente
Et vas claudatur jugiter dum concipiatur,
Ut duo quæ fuerant unum quasi corpore fiant.
Semen ut humanum puro de sanguine natum,
Renibus extractum nutricis femore sumptum

Fœmi-

Fœmineo junctum cum semine, fit velut unum
Hac serie rerum conceptio fit specierum.

CAPVT IX.

QUi ergo noverit ducere, prægnantem facere, generare, mortificare & vivificare, lumen inducate, & mundare ulterius à sua nigredine & tenebris, erit maximæ dignitatis. Nobis enim regem coronatum filię nostrę rubeæ conjungentibus, & ei leni igne nodum nectentibus, concipiet & filium gignet. Nam fusæ nubes, quæ super eam fuerant, revertentur in suo corpore, sicut exierunt. Tingens ergo & tingendum oportet te diruere; ipsum enim, quod miscetur sibi, superat & in suum avertit colorem: & quemadmodum apud visum superficialiter vincit, sic intima superat: ideo cum corpore miscetur & continetur, ut tinctum sit cum eo, vertit ipsum in spiritum & spirituali tingit tinctura & invariabili, quæ deleri non potest. Continuato igitur eorum regimine quadraginta dierum spatio, fiet utrumq; aqua permanens cooperta nigredine. Quæ tamen nigredo, si debito regatur modo, non permanet

nisi

nisi 41. diebus: ideò in suo eam regens balneo, subjice ignem, quousq; fiat aqua clara, & ut verum argentum vivum scandens in aërem. Idcirco cum videris naturas aquam fieri, ut in aërem sublimari, tunc omnia vapor facta sunt: nam anima à corpore separata, & in spiritum sublimatione delata, factus est uterq; fugiens. Aqua enim reseravit januam non fugienti convertens ipsum in spiritum sibi similem: unde facti sunt aërii spiritus in aëra simul scandentes, ibiq; accipientes vitam inspiratam à suo humore, sicut homo ab aëre; quare multiplicatur & crescit in sua specie, sicut res cæteræ. De jure igitur tunc vapor continet vaporem, eo quod simul utrumq; in decoctione est junctum. Ideo fugiens natura, quamvis sit ei fuga essentialis, dimisit tamen fugere, eò quod in sublimatione junguntur ad invicem. Quare debet totum igne mediocri in vaporem multoties sublevari, ut inspiretur ab aëre & possit vivere. Nam omnium natura constantium vita ex aëris constitit inspiratione: quare totum opus constitit in vapore & sublimatione suæ aquæ. Summo-

perè

perè tamen caveas in omni ſublimatione à fractione vitri aut tui vaſis: quia ſi in tantum accenderis ignem, ut aqua ad vaſis aſcendat ſummitatem gaudens refrigerio adhærebit ibidem, & ſic elementorum non poteris perficere ſublimationem, eò quod oportet unumquodq; illorum rotatu ſphærico per ſe pluries deprimi & elevari: ſed quod per violentiam aſcendit, ſine violentia non deſcendit. Sit ergò ignis lentus, ita ut per ſe totum opus aſcendat & deſcendat liberè, abſq; vaſis adhæſione. Ideò niſi corpus aqua & igne attenuemus, quouſq; aſcendat ut ſpiritus, nihil facimus. Eo autem ſcandente in aëre naſcitur, & in aërem vertitur, fitq; vita, ut una non ſeparetur ab alia, ſicut nec aqua mixta aquæ: ideò natus in aëre ſapienter naſcitur, quoniam omninò ſpiritualis efficitur. Intellige ergò quòd tribus de cauſis ſublimationem facimus: prima eſt ut corpus fiat ſpiritus de ſubtili natura: ſecunda eſt, ut ſpiritus ſe incorporet cum corpore & fiat unum cum eo: tertia eſt ut omnia fiant munda & alba, & falſedo ſulphuris minuatur; nam per ſublimationem comburi-

tur

tur, quicquid ex opere fuerit combustibile. Et certè summè nobis est necessarum, ut elementa fiant simplicia, ut possint conjungi ad invicem; fieri tamen simplicia non possunt, nisi in partes separentur; ideo oportet utrumq; vaporem pluries sublimare, donec aqua descendat in cribratione. Cribramus autem res cribro sphærico septies, ut omnia fiant aqua limpida, clara, quoniam corpus nunqnam dimittit animam à se separari, quæ sibi compar est in propinquitate simplici, & ideò reiteramus eorum sublimationem, ut ad subtilem reducantur naturam. Oportet ergò separationem pro posse exercere, ut nihil de pinguedine animæ remaneat in corpore, nisi quod non sentiatur in sui exaltatione, aliâs impedietur in operatione. Cribratur namq; cribro sphæræ vice post vicem, & corpus descendit ad imum, & aqua ascendit alba cum anima simplici propinqua. Confunde ergò omni tempore partem cum parte, ut rectificata resistant elementis, & præcipuè igni: quæ enim resistenti resistunt minimè, separantur & deficiunt. Unde oportet corpus

esse

esse aridum siccum, animam humidam & spiritum fluentem. Verùm quidam opinantur separationem fieri multis speciebus, de quo non cures, quia prosperaberis in eo, quòd reducas operationem ad æqualitatem simplicis, & non in eo, quòd separetur unumquodq; singulariter in elementis. Et certè non erit difficile omnia reducere ad simplex album, cum sint de natura ejus: pater ejus est Sol, mater ejus Luna, portavit illud ventus in ventre suo, terra prægnata est ex eo, eò quòd aquam ab aëre, aërem ab igne & ignem à terra destillando recepisti: nam ex multa sublimationis iteratione anima cum aqua ascendens depuratur, & ejus grossities ad ima descendens in terram limatur. Sic ergò de igne facies terram, & de aëre aquam, quam reduces super terram. Vis enim ejus integra est, cum versa fuerit in terram. Verte ergò terram in aquam, aquam in ignem, ignem verò in aërem, & occultes ignem in intimis æquæ, terram verò in aëris ventre. Calidum autem misceas humido, siccum verò cum frigido, quoniam isto modo facies

mixtionem, quia non eſt tranſitus de extremo ad extremum niſi per medium. Aquila ergò volans per aërem, & bufo gradiens per terram eſt magiſterium: idcircò ſeparabis terram ab igne, ſubtile à ſpiſſo, ſuaviter cum magno ingenio. Aſcendit à terra in cœlum, iterumq; deſcendit in terram, recipit vim ſuperiorem ſpiritus, & inferiorem corporis, quia vincit omnem rem ſubtilem congelando, omnemq; rem ſolidam penetrabit alterando. Sic enim dominatur ſuperioribus & inferioribus, quia operatur tam in ſpiritibus quàm in corporibus.

CAPVT X.

LIquet ergò quòd æs noſtrum habet ut homo, corpus, ſpiritum & animam. Spiritus eſt ejus aqua, anima eſt tinctura, corpus verò eſt ejus terra. Spiritus eſt delator ſive portator animæ ſuper corpus, ſicut portatur tinctura tinctorum per aquam ſuper pannum: anima autem eſt vinculum ſpiritus, ſicut corpus eſt vinculum animæ, corpus verò eſt fixum, ſiccum, continens ſpiritum & animam. Spiritus ergò penetrat, corpus figit, & anima copu-

ma copulat, tingit & dealbat. In his autem qui non fecerint duo ſulphura de ſulphure, nihil norunt: & duo ſulphura ſunt, quæ ex lapide mixto & juncto ſublimantur ad tincturam, quę quidem tingunt & fugiunt, ſed à ſulphure continentur, quod fugere non poſſit, quoniam ipſum fugientium eſt connexio. In his tamen tribus eſt fumus, nigredo & mors, quæ niſi ablata fuerint, perpetua non erunt. Oportet ergò ab aqua fumum, ab anima nigredinem, & à corpore mortem expellere frequenti diſſolutione. Commiſce ergò ova gallinarum nigrarum cum ære, & habebis aurum & argentum, quantum volueris. Vultur autem ſine alis volans ſupra montem clamat, ego ſum albus nigri, rubeus albi & citrinus rubei filius veridicus & non mentiens: me igitur matri & ſuo pectori junge, quia ſuam ſubſtantiam facio continere. Noli ergò alienum nobis introducere, nec ab opere ceſſare, nam omnis natura cum ſua coadunatur ſocia, & per eam perficitur. Mater me genuit & per me gignitur ipſa: ipſa enim primò dominabatur mihi, de cætero dominabor ei, quia per-

ſecutor matris meæ factus ſum, poſtquam ab ea accepi volatum. Ipſa tamen meliori modo, quo poteſt, ſicut mater pia, fovet & nutrit filium quem genuit, donec ad ſtatum devenero perfectum. Pone ergò me in humido igne, qui mei humoris calorem augmentat, & ſiccitatis combuſtionem vetat, quouſq; finem operis inducat: deinde rubiginem & umbram meam extrahe per ſe, quouſq; tertia parte perſiſtam: decoctio namq; me minuit, tritum verò augmentat: & quod poſt 15. dies diminuitur, poſt 30. augmentatur, hoc eſt initium & finis. Cuſtodi ergò argentum vivum in intimo thalamo ſuo, in quo coagulatum eſt, nam ex iterata cribrationis vice aqua aſcendit alba cum anima ad alembicum, & corpus paulatim deſcendit ad imum; & ipſum eſt argentum vivum, quod dicitur terra reſidua, quæ aquam recipit & bibit eam, quoniam connexio eſt tincturarum. Conſerva ergò vas & ligaturam ejus, ut ſis potens in corſervatione ſpiritus: nam aqua, quę priùs erat in aëre, habitabit in terra, & ſic fugere nequibit. Redde eam tunc ad ſuperiora, & per ſuos terminos non

ineptè

ineptè eam mitte, deinde corpori priori eloto per se eam conjunge: nam ubicunq; fuerit corpus, congregabuntur & aquilæ, quia aqua consequitur terram, quemadmodum ferrum magnetem: nam aqua quæ sine violentia ascendit, sine violentia descendit. Irrorate ergo terram, & mundate nigredinem; unde Versus:

Consurgit nullus unquam sine corpore fructus,
In quo dum moritur semen fructum dare fertur
Sic cibus in stomacho fomentum suscipit intrò,
Deinde merum separat, & idem per membra coaptat,
Firmans mutatum, prægnatio spondet hiatum,
Menstruus hunc pascit donec suus exitus adsit.

CAPVT XI.

LIga ergò mulieris lactantis man' post tergum ut non fugiat Gabricum, & appone illi filium quẽ genuit ut lactet eum, quoniam cum fuerit mulier mortua, erit bufo gross' de lacte: tunc scinde bufonem per medium, apponens gallinę ut comedat ipsum, & cũ fuerit bubo comestus, erit alb' intus & exterius. Reducas aquam ad terram temperatũ administrans ignem,

quouſq; in natura ſua radicem fecerit, ſciens pro certo quòd oportet iſtum nutriri primò pauco lacte, ſicut eſt videre in infantis educatione, nam pauco lacte nutritur & igne parvo fovetur dum parvulus eſt, & quantò magis creſcit, majori indiget cibo & calore, quouſq; ſuum biberit humorem: nam humor primus eſt frigidus, ideò cavendus eſt ignis nimius, qui frigori eſt inimicus. Veruntamen ſi corpus poſueris ſuper ignem abſq; aceto, comburetur, nec fiet ex eo quod quæritur: quia ſi ignis non invenerit humiditatem, quam deſiccet, comburit corpus: acetum autem ſibi impoſitum prohibet combuſtionem ignis, deſiccans ſe cum corpore, ne patiatur læſionem: & quanto magis flamma ignis occupatur, tanto magis in aquæ intimis abſconditur, ne calore ignis comburatur. Jubeo autem non ſimul infundere aquam, ne ſubmergatur Elixir; verùm paulatim infunde aquam, & ſemper corpus cum tribus aquæ ſuæ partibus decoquatur: nam ſi conficiatur abſq; pondere, (mſ. mors ſibi) mora eveniet, qua ſuperveniente, malum inde orietur. Si verò con-

venien-

venienter regitur, cum ſua pacificatur aqua ſuper ignem. Verùm quia corpus primò parum habet radicis, cujus virtus non æqualiter abundat in omnibus partibus, ſicut nec ſplendor Solis in Planetis, ideò patientia & mora ſunt neceſſaria, ut proli-
xitate coquendi aqua vincat pugnam ignis: nam leni decoctione aqua congelatur, & humiditas corruptiva extrahitur, humoris radicalis calor augmentatur, & ſiccitas à combuſtione prohibetur. Sed accidit quòd opus aliud citiùs, aliud verò tardiùs congelatur, quod ex coquendi diverſitate accidit neceſſariò: quia ſi locus, ubi coquitur, humidus ſit & roridus, citiùs perficitur opus, ſi verò ſiccus ſit tardiùs congelatur. Jubeo ergo ignem noſtrum ſemper eſſe lenem, donec congeletur in lapidem aqua, & maneat deorſum, nam intra ſpatium quadraginta dierum tota vertetur in terram: ideo cum videris aquã coagulare ſe ipſam, tunc ratus eſto ſcientiam eſſe veram: nam corpus coagulat ſuum homorem in ſiccum, ſicut coagulum agni lac coagulat in caſeum. Idcirco corpus coque cum aqua vitæ, & leniter aſ-

sando coagula ad ignem, quousq; fiat spissum & siccum: cum autem fuerit siccum velociter bibit suum humorem residuum: tunc aliam aquam impone, suaviter decoque, vas diligenter claude, noli festinare nec ab opere cessare.

CAPVT XII.

VEruntamen aqua dividenda est in duas partes, quarum prima in corpus coagulatur, & altera putrefit & liquatur. Coagulare est aqueam substantiam in terram redigere; putrefacere vero est coagulatum resolvere: nam putrefactio non est nisi cum humido & sicco, sic enim spiritus penetrabit in corpus, & commixtio fiet per minima. Ignis autem subtus administratus temperatus sit: cave etiam ne nimis festinanter extrahatur à suo vase, fortè namq; moveretur, quoniam infanti nunquam patebit egressus, donec aëreos flatus hauriat: custodi ergo eum continuè clausum, rore circumdatum, omnino precavens, ne flos ejus egrediatur in fumum, & pereat magisterium. Veruntamen in opere, pondere & mensura omnia rege, ut

quoties

quoties corp⁹ imbuitur toties desiccetur: non tamen comedas festinanter, nec comedas quod non bibas, nec bibas quod non comedas; sit autem potus post comestionem, nec comestio post potum alioquin facies ventrem humidū, nec recipiet siccitatem. Comede ergo & bibe unū post aliud secundum rationem, unum. 2. 3. 4. 5. 6. computando ad 12. facies Lunæ. Currit autem hic numerus ex multitudine terrarii in quatuor & erunt 12. Ver⁹ ternarius fit ex uno in tria: & sunt tres salsaturę primarię quarum quælibet in aliis tribus dividitur salsaturis, & erunt 12. Verte ergo triangulū in rotundum & habes magisterium. Et illud quidē fit, si quadrangulus in unaquaq; specularum suarum tres habeat angulos æquales. Fac ergo circulum, & in medio circuli centrum, deinde in unaquaq; specula æquali fac tres triangulos de circulo centri: sit autē linea æqualis de primo centro ad reliquos punctos, & æqualis & una sit omnium tertiariorū mensura: Computa tertiarios, & 12. invenies; desuper quos ducas compassum & invenies quod tanget unumquemq; ternarium: (mſ. tertiarium.)

ergo per 12. triangulos quadrangulus eveniet rotundus. Sic compone magiſterium, quia ſicut omnes ſpatulæ concurrunt ad centrum compaſſi, ſic tota aqua eſt ad ſuum corpus per ſuos tertiarios reducenda. Si autem diminutum fuerit angulo uno, diminuetur portio ſua. Venare ergo animas, quoniam in terra eſt manſio earum, ut fugere nequeant. Non ſis in venatione niſi lentus, præcavens ne igne nimio vertantur in fumum: fugam: ſi autem fugient, non capientur cum falcone: ſi vero includuntur nec fugiunt, tunc revertuntur ad corpus unde exierunt: eò quod corpus attrahit ſuum humorem, ſicut magnes ferrum. Converte ergo terram, decoque aquam, & reitera operationem, quouſq; unus ex ternariis vertatur deorſum: nam ſi unum ex tribus occidiſti, omnes ſunt mortui; quia ſi unum ſit fugiens, alterum vero ignem patiens, utrumq; junctam patitur ignem, eo quod unum continet reliquum, propter naturæ ſuæ propinquitatem; & hæc quidem eſt coagulatio noſtra, nam omne volatile à fuga prohibetur ſuo fixo. Veruntamen non efficitur

ficitur hoc manibus, ſed natura ad ipſum circulariter operatur, quia natura ſeipſam diſſolvit & coagulat, ſeipſam albefacit & rubore decorat, ſeipſam croceam facit & nigram, ſeipſam deſponſat & à ſeipſa concipit, quouſq; finem operis inducat. Quare liquet, quòd hæc confectio non eſt manualis operatio, ſed naturarum mutatio, & earum calidi cum frigido & humidi cum ſicco admirabilis connexio, unde Verſus:

Eſt ergò munda ſecreti fluminis unda,
Quæ ſua bis ſenis extrudit brachia venis,
Per ſe ſtillabit & mortua vivificabit.
Si congeletur quod deſtillare videtur
Igne tepeſcente foveas fervore carente:
Abluit, emundat, renovat, regit, unit & undat,
Germinet ut florem tellus & ſpiret odorem.

CAPVT XIII.

ACcipe ergò volatile volans ſubmerſum, & mancipa ut tibi reſpondeat non volando in regionibus, ſed volatu evolans ad tuum contentum: nam quod eſt inferius eſt ſicut id quod eſt ſuperius, & quod eſt ſuperius ſicut id quod

eſt

est inferius. Ideo aqua nostra benedicta suam venit adaquare terram, mundare nigredinem, & omnem malum auferre odorem, eo quod inter eos est libido, sicut maris & fœminæ. Caveas ergo ne à vase exeat sua humiditas & pereat, verùm ipsam reducens ad terram coagules leni igne, sicut coagulatur sperma in matrice: fœmina namq; suum amplexata conjugem velociter transit in corpus suum. Verte ergo aquam super terram suam, quousq; coaguletur deorsum, tunc enim citiùs à natura transit in naturam, & in unoquoq; gradu suarum operationum novam assumit naturam. Redde cineri (mſ. secundum tertiarium suæ aquæ) sudorem suum contere, coque, reitera, nec te tædeat reiterare, nam terra non germinat absq; frequenti irrigatione, nec suscipit irrigationem absq; præmissa desiccatione. Ideo omni vice post desiccationē tere, & superfunde aquam temperatè, nec multum nec parum; quia si multum fuerit, fiet pelagus conturbationis, si vero parùm, comburetur in favillam. Ideo in omni pondere pondus, in omni mensura modus servetur, &

in

in omni opere opus est, ne nimia siccitas aut superfluus humor administratus corrumpat, ut tantum assando decoquas, quãtum in dissolvendo adjectum est, & imbibendo dissolvas, quantũ assando defecit. Semper autẽ cavendum, ne ignis asperitas exustionem generet, nec ab actione cassãdum, donec totũ sicci lapidis formam assumat. Veruntamen natura non habet motũ nisi per caloris actionẽ: Ideo si caloré benè mensuraveris, aqua & ignis sufficient tibi, nam corp⁹ abluunt, mundant, nutriunt, & ejus obscuritatem auferunt: & certe totũ opùs & regimen ejus non est nisi aqua permanens, omnia in se habens, quib⁹ indigemus: nam liquefacit & congelat, diruit & dealbat, nec oportet aliquo alio uti in toto regimine, nisi hac aqua permanente. Manutene ergo hanc aquã cum suis operibus, quoniam facit album ad albũ, & rubeum ad rubeũ: effectus tamen ejus consistit in regimine ignis, nam cũ eo dividitur aqua, cum eo retinetur à fuga, cum eo corpori jungitur anima, cum eo fit coagulatio nostra: caveas tamen intensionem ignis, quia si intenderetur ante terminum, fit rubeum quod non prodest. Sit ergo ignis lent⁹ usq; ad albe-

ad albedinem, inſpice autem multoties, quomodo facias conjuges amplexari: nam fortibus nexibus vinciendi ſunt ſpiritus, ut roborati pugnent contra ignem: quia ſi mulieri vagæ patuerint egreſſus, alienos amplexus quærens fugiet. Si verò occludatur ut fugere non poſſit, tunc rediens ad virum concumbit cum eo, & eum occidit: aſt iſte calefactus ejus conſumit humiditatem, faciens ipſam morari ſecum: nam ſpiritus ablati à corporibus deſiderant eis ineſſe, ſequuntur ea, & gaudent habitare in ipſis, vivificant ea, nec unquam ſeparantur ab eis. Ideò non fruſtra confertur ſperma vulvæ, quoniam unum conſequitur reliquum tanquam ſponſa paranymphum. Vivifica ergò mortuum h. e. corpus, occide vivum h. e. ſpiritum & habebis magiſterium: unde Verſus:

Pluribus aptatis lac decoque virginitatis,
Igne tepeſcente fumo fervore carente,
Hinc cum ſiccatur citiùs ſerpens adaquatur,
Et tamen hæc grata, quod aqua tam ſit moderata,
Vnda ſui fontis diſtillat à vertice montis,
Alter & alterius fons fontis fluminis hujus,

Suſci-

Suſcipiet mulſum propria teſtudine pulſum
Et teneat mundam ſiccati ſanguinis undam.

Extrahe à nube ſuam umbram & ſordidum, & quod nebula ei ſuperveniens coinquinat & à luce retinet; quare anguſtatur & à ſua rubigine detinetur. Ideò oportet prima parte ejus aquæ æs noſtrum comburere, & coquendo coagulare, quouſq; à ſua liberetur rubigine: tunc namq; dicitur à philoſophis fermentum auri, & coagulum coaguli, quia recipit & bibit aquam coagulans ipſam ſecum in terram: & in hoc eſt finis primæ operationis, & initium ſecundæ, quoniam uno modo incipitur & finitur. Modus autem rubificationis lapidis albi prædicti eſt quod oportet reſidua aqua ſua multoties imbuere ad incerandum congelatum, ad mundandum combuſtum, & ad colorem immutandum, donec tota aqua fiat deorſum.

CAPVT XIV.

IMbibe ergo ipſum ſepties vice poſt vicem emundans nigredinem, quouſq; diruatur & in terram vertatur, nam in-

qua-

quadraginta diebus totum vertitur in terram: aperi & claude, ſolve & noda, extende & plica, ablue & deſicca: hoc facito continuè, donec quadrangulum vertas in rotundum cum ſuo genere. Æs gubernatum diſſolve coquendo, quouſq; fiat ut aqua, & ut verum argentum vivum, poſt hæc ſecundum conſuetudinem coagula ad ignem. Dicimus quidem coagula ſecundum conſuetudinem, eo quod priùs fuit coagulatum in ſiccum rubeum: ideo cum ſiccum fuerit, ſolve quod ex illo fuerit ſolubile: quod non ſolvitur continuè coque, quouſq; ſolvatur omnimodè. Sic ergò reiterando iſte ordo ſervetur, quouſq; iſtius major ſolvatur quantitas, deinde coagula, & leniter aſſando in igne temperato conſerva, quouſq; illi major, ad illius exigentiam, ignis adminiſtrari poſſit. Omnes ergò hos ordines præparationum ſuper ipſum quatuor vicibus reitera, & ultimò calcina per modum ſuum figentem & calcinantem, quoniam ſic pretioſiſſimam lapidis terram ſufficienter adminiſtrando rexiſti. Et certè calcinare nihil aliud eſt, quàm deſiccare & in cinerem vertere:

tere: ideò combures ipſum abſq; timore donec cinis fiat; quod cum cinis fuerit, optimè miſcuiſti, eò quòd cinis iſte ſpiritum recipit & bibit, ac ſuo imbuitur humore, donec in colorem vertatur pulchriorem, quàm priùs fuerat. O quàm pretioſus eſt cinis iſte, cariſſime! hunc ergò cinerem ne vilipendas, ſed redde ei ſudorem ſuum quem ejecit, quouſq; totum vertatur deorſum: quoties enim cinis imbuitur, toties per vices deſiccatur, quouſq; totum vertatur in album & crematum, namq; cum deſiccatur ſeipſum continet ad invicem. Quare oportet æs conterere, aqua vitæ pluries imbuere, & vice poſt vicem deſiccare, quouſq; ſuum bibetit humorem. Jubeo ergò aquam vivam coagulare, corpori ſuo miſcere, & coquere quouſq; exiccetur; tunc enim invenies totam aquam vivam à ſeipſa coagulatam, & in terra contentam; tunc corpori jungitur ſpiritus, aqua cineri, & fœmina viro: quoniam quando æs convenienter regitur, cum aqua pacificatur, & albo colore coloratur: & benè quidem, quia dealbatio non fit, niſi decoctione & aquæ con-

gelatione, & quantò plùs æs abluitur, tantò intensioris fit albedinis. Ideò philosophi decoquere, ethelia imbuere & rerere frequentissimè præceperunt. Si autem scivissent, quòd una decoctio & una contritio sibi sufficere potuissent, non toties sua dicta iterassent: ideò ergò id faceerunt, ut teratur continuè, & coquatur sine intermissione. Contere igitur, coque, reitera, nec te tædeat reiterare, cum suo ære decoque, imbue, ablue nigredinem aqua vitæ, assa latonem donec exiccetur & fiat corpus novum: nam aqua vitæ gubernat & dealbat omne corpus, vertens totum in suum colorem. Ille namq; fumus albus est, cum quo dealbatur, quicquid dealbari præcipitur, quoniam natura naturam convertit. Illum ergò fumum suæ fæci admiscens coque & tere multoties donec coaguletur & sua nigredine privetur. Et certè aqua roris Madij ipsum abluit & emundat, descendens de cælo tempore (mſ. pruinę) pluviæ, penetrat & dealbat: ipsa enim aqua habitans in aëre consequitur terram sicut ferrum magnetem. Inter eos sanè est societas

tas & libido, propter naturæ ſuæ propinquitatem: nam naturæ ſuis obviantes naturis lætantur in eis. Reſiduum ergò humorem impone coquendo continuè, donec coaguletur & nimis dealbetur, ſciens pro certo, quod, ſi fuerit ſiccum, velociter bibit ſui humoris reſiduum. unde Verſus:

Tunc res miſceri debent pariterq; foveri,
In quarum cœna ſitiens adaquatur arena,
Hujus aquæ vivæ viridis velut unctus olivæ
Partes bis ſenæ parti ſociantur arenæ &c.

CAPVT XV.

INſpice ergò qualiter compoſitum potat aquam, & in unoquoq; gradu coloribus alteratur. Dum enim resigne ſuperponitur, de colore ad colorem multiplicem, natura operante, transfertur: ſpiritus tamen & anima non uniuntur cum corpore niſi in albo colore; quia quamdiu apparuerit nigredo obſcura, dominatur fœmina, & ipſa quidem eſt prior vis noſtri lapidis, quoniam niſi fuerit nigrum, non fiet album nec rubeum; rubeum enim ex nigro & albo eſt com-

positum. Veruntamen calor temperatus in humido agens operatur nigredinem, desiccat humiditatem, & tollit corruptionem; è contrario calor invalescens operatur rubedinem, humiditatem fugat, & generat corruptionem. Quare liquet, quòd si compositum plus regatur, quàm oportet, statim extinguitur, nec fiet ex eo quod quæritur. Cavendum est ergò ne aqua per ignem nimium vertatur in fumum & fugiat: idcircò fit pugna aquæ & ignis prolixitate coquendi, nam ut calore Solis aqua desiccatur, sic leni decoctione ignis aqua coagulata in terram continet seipsam contra ignis pugnam. Vincat ergò aqua pugnam ignis prolixitate coquendi, inspissandi & coagulandi seipsam: nam si ejus naturam perfectè scires, prolixitatem coquendi sustineres utiq;, donec propositum invenires, quoniam bonitas hujus naturæ venerabilis probatur in coroporibus maxima, eò quòd propter nullas exterminationis causas se in partes suæ compositionis dividi permittit, sed aut cum tota sui substantia ab igne recedit, aut cum tota in igne stans permanet, quare

notatur

notatur in ea perfectionis cauſa neceſſariò. Hanc igitur patienter rege naturam, ſuaviter coagulando argentum vivum, quod ex ære noſtro pluit ſuper ipſum, amaræ aſcendunt nubes & pluunt pluviæ ſuper terram, quia omne grave corpus & denſum ad ſuum naturaliter labitur centrum. Argentum verò vivum ex ære ſublimatum, ex quo omnia fiunt, eſt aqua munda & tinctura vera, quæ æris umbrã delet: ipſum namq; eſt ſulphur album, quod ſolum æs dealbat, & quo ſpiritus continetur ne fugiat. Illud tamen ſulphur non poterat dealbare æs, niſi in priore opere eſſet dealbatum, eò quòd ſolum ſulphur album dealbat æs noſtrum: quare liquet quòd tanta erit pulchritudo æris, quanta fuerit albedo ſulphuris. Volens ergò ad veram pervenire tincturam, impone illi paulatim humiditatem, quam ejecit, coquendo aſſiduè, donec colorem induerit pulchriorem, & quoties imbuitur, toties per vices deſiccetur, quouſq; vertatur in album. quod quæritur: nam inceratum cum deſiccatur continet ſeipſum, & ſi unum eſt fixum ſi gitur & reliquum, & ſi ſit album.

exteriùs, album etiam erit interiùs. Idcircò ne desistas ipsum imbuere, coquere & desiccare, donec toto suo imbuatur humore. Confice ipsum aqua permanente, & leni decoque igne, donec nigredo pereat & recedat: imbue ipsum continuè aqua vitæ, prout videris ei sufficere ad visum; assa & coque donec totum biberit humorem, sciens quòd purpureus color non tingitur nisi frigido & humido, nec albus nisi sicco, nec rubeus nisi calido. Hoc igitur æs assando coque residuo suo humore, donec seipsum faciat germinare, deinde in Sole desiccando tere, quousq; totum vertatur deorsum.

CAPVT XVI.

VEnerare ergò regem & suam uxorem, & noli eos comburere, ne nimio fugiant calore, quoniam indiges patientia & longanimitate, quę regem & suam uxorẽ in regimine emendant: coque eos donec fiant nigri, deinde albi, postea rubei, & tunc fit venenum tingens in aurum. Æs siquidem nostrum primò quo magis coquitur, eo magis solvitur & fit aqua spiritualis: secundò quò magis decoquitur, magis inspissatur, & fit pulvis majo-

ris albedinis: tertiò quò magis coquitur, magis coloratur, & fit tinctura majoris rubedinis, & tota hæc operatio non est, nisi extractio aquæ à terra, & ejusdē super terram dimissio. Adsit autē diligens ministratio, adsit continua expectatio: revertetur enim omniū declaratio, & sic eveniet tua desideratio. Aquam igitur totam exhaustā & in terra contentā per quosdam dies (id est per 60.) in suo vase super ignem lenem dimitte putrefieri, quousq; pretiosissimus ei color albus desuper appareat, sit autem calor lenis usq; ad albedinem, quia si calor intensus subito irrepserit, vaporem nigrum facit, & albū fugit compositū: nam vapor ille albus est, igitur si figitur cū ære dealbat ipsum intus & extra: si vero fugit ab ipso, vertitur in rubeum, quod non prodest. Et certè in putrefactione æris spiritꝰ uniuntur cū corpore & desiccantur cū illo: qui quidem nisi desiccentur, nō apparebunt colores animę, quia putrefactio nō est nisi mortificatio humidi cū sicco: nam humidū tū coagulatur cū sicco vel per siccum. Vulgus tamen solum humidum putrefacit: sed nostra putrefactio non fit absq; humido & sicco.

ſicco, eò quòd humiditas tantum ſiccitate continetur, ut fugere nequeat. Quia non poſſunt gravia niſi levium conſortio ſuperiùs elevari, nec levia niſi gravium conſortio inferiùs detrudi, & utrumq; eſt operis initium & finis. Regis ergò operationem continuè, coque ſine intermiſſione, noli feſtinare, nec ab opere ceſſare, quia niſi humiditas uteri & calor continuus eſſet, ſperma non maneret, nec fœtus perageretur. Nam moriente matre moritur & fœtus propter imminens frigus. Deus ergò illum ſanguinem & calorem uteri conſtituit ad nutriendum fœtum, uſq; ad tempus nativitatis: ſic oportet te continuo calore opus regere uſq; ad albedinem; nam in albo tantum colore ſpiritus uniuntur cum corpore, ut fugere non poſſint. Quare incipit tunc vivere, nec ſibi nocent alieni flatus, niſi decreveris ad rubeum procedere. Balneum igitur intenſi caloris perire facit, frigidum verò fugat, ſed temperatum fovet & conſervat: idcircò oportet ſuaviter regere, ſicut ovorum excluſione, quouſq; totum fuerit album: quare præcipitur dealbare Latonem, & libros rumpere,

re,

re, ne corda rumpantur. Terra quippe cum aqua putrescit & mundatur, quoniam cum desiccata fuerit, nigredo recedit, & dealbatur : tunc peribit tenebrosum mulieris dominium ; tunc vir ascendens super mulierem aufert illi regnum : tunc fumus penetrabit in corpus , & spiritus constringetur in siccum : tunc cessabit nigrum, colore deformatum, & fiet album, lucidum, clarum. Quia calor agens in humido generat primò nigredinem, sic agens in sicco generat albedinem, & in albo citrinitatem : exemplum sit in ligno accenso cum faciunt carbonem : sic & lapidis nostri substantia primò quo magis coquitur eo magis solvitur & denigratur : secundo quo magis coquitur, eo magis exiccatur, & dealbatur : tertio quo magis coquitur , tanto magis rubificatur, quousq; perficiatur. Res ergo cujus caput est rubeum, pedes albi, oculi vero nigri est magisterium.

CAPUT XVII.

QUatuor tamen sunt colores principales in opere apparentes, scilicet,

niger, albus, citrinus & rubeus. Et omnia æris nomina ex his quatuor coloribus, in corpore ſuo apparentibus, dicta ſunt, qui quidem omnes ex aceto ſibi impoſito eveniunt. Prædictis autem coloribus apparentibus, oportet unumquemq; eorum 40. diebus coqui, & aqua tota conſumpta leniter deſiccari, quouſq; albedo appareat. Quòd autem ſit neceſſarium opus primò denigrari, probatur per hoc, quod generatio non fit niſi per corruptionem alterius. Et corruptio non fit niſi per putrefactionem, & calorem in humido agentem, & calor agens in humido efficit primò nigredinem: quare liquet quòd principium operis noſtri eſt caput corvi. Similiter ipſum putrefieri eſt neceſſarium, quia nihil fuit unquam natum, nec creſcens nec animatum, niſi poſt putredinem. Si enim putridum non fuerit, fundi non poterit, neque ſolvetur, ſi vero ſolutum non fuerit, ad nihilum redigetur. Noſtra tamen putrefactio non eſt ſordida nec immunda, ſed eſt commixtio terræ cum aqua & aquæ cum terra per minima, donec

totum

totum fiat unum corpus, coque ergò masculum & uxorem simul, quousq; utrumq; coaguletur in siccum: quia nisi fuerit siccum, colores diversi minimè apparebunt, eò quòd semper erit nigrum, dum humidum dominatur: Ideò os vasis diligenter claudatur & coque ad ignem donec totum vertatur deorsum. Tunc draco alas suas comedit, & diversos emittit colores. Multis siquidem diversisq; vicibus mutabitur de colore in colorem, donec ad firmam deveniat albedinem: nam omnes mundi calores apparebunt, cum denigrans humiditas fuerit exiccata: verùm de illis coloribus non cures, quoniam non sunt veri colores, nam pluries citrinescit & rubescit, pluriesq; desiccatur & liquescit ante veram albedinem: sed spiritus non figitur cum corpore nisi in albo colore. Quare liquet quòd dealbatio est semper expectanda, cum ipsa sit totius operis complementum; neq; etiam variatur postea in colorem verum, quàm in rubeum. In unoquoq; igitur gradu inspicias, qualiter a qua congelat seipsam, & quomodo & colore

colore in colorem mutatur compoſitum, quia ſi neſcienter regatur, ſuorum colorum nihil videbitur, & ſic ſæpiſſimè caſſum deflebis laborem, eo quod minimè ſcire poteris, in quo gradu moderandus eſt ignis, niſi per colores in opere apparentes. Colores itaq; docebunt quid facias de igne; ipſi namq; oſtendent quoto tempore, & quando ignis primus, ſecundus & tertius eſt faciendus: unde ſi diligens fueris adminiſtrator, colores te docebunt quid fieri oporteat. Nam omni tempore in ſolutione & coagulatione erit ignis lenis, in ſublimatione mediocris, & in rubificatione fortis. Veruntamen quanto magis variantur colores, tanto magis continuandus eſt ignis lenis in dealbando, donec ad metam deveniat albedinis: nam ante album non mittimus ignem multum, eo quod ipſum eſt frigidum, crudum & ſemicoctum, & ideo albedinis vices ſunt ipſius mulieris. Sit igitur ignis lenis in dealbando, donec figatur vapor cum ſuo compare: aliâs ſi accenderis ignem ante terminum fit rubeum, quod non prodeſt: eo quod rubeum ex multo albo

albo & puriſſimo nigro cum calore magno eſt compoſitum. unde Verſus:

Hæc rubens vena candentis fontis amæna
Roris adhuc plena fiat ſub Sole ſerena,
Leniter ferveſcat donec ſiccata quieſcat,
Inde candeſcat, & candida tota niteſcat:
Candida tunc venas faciens candore ſerenas
Myſteriis plenas candentes pandit arenas

Ergo ſi ignem benè menſuraveris, operationemq; rexeris ad colorem album primo devenies. Et cum fuerit album, tunc ignis fiat intenſior, & etiam intendetur albedo. Facto autem ſupra ipſum & ſubtus calore ſicco per ſpatium dierum aliquot, totum figetur deorſum, & nihil ſpiritus aſcendet ſuperius, quod eſt ſignum perfectæ fixationis, unde Verſus:

Ignem qui ſpernit non ad ſublimia tendit,
Et ſi quid videas paulatim tendere ſurſum
Hæc ergò repetenda monet decoctio rerum,
Tempora coctura tria ſunt ſeptena dierum,
Sicut ſolvuntur ſpecies & concipiuntur,
Sic fit ſumma rei congeſtio materiei.
Ex hac mixtura ſurgit coitus genitura,
Accenſos ignes comburit fortior ignis;

Igne

Igne ſuperpoſito facias deſcendere rurſum
Donec prætereat coctũram meta dierum
In quibus unitur contraria vis ſpecierum,
Quæ ſic accedunt nec diſſociata recedunt,
Et res certa ſpei ſequitur candor ſeriei
Cujus natura dat in omnibus omnia pura.

Tunc fugiens non volabit à non fugiente, quamvis ſit ignis æſtuans: quia magneſia cum dealbatur ſpiritus fugere non permittit, nec æris umbrã apparere: nam ipſum eſt ſulphur fixum album, quod omne corpus tingens perficit, & in verum argentum convertit. Quare dicit philoſophus: ſi fuerit argentum vivum purum, coagulabit illud vis ſulphuris albi non urentis in argentum: & illud eſt res optima quam recipere poſſunt operantes Alchemiam, ut convertant illud in argentum: quia natura tunc continet naturam, & vero matrimonio convertuntur ad invicem. Verum tamen non eſt niſi una ſola natura, quæ in unoquoq; gradu ſuarum operationum in aliam vertitur naturam, eo quod natura naturâ lætatur, natura naturam ſuperat, & natura naturam continet, docens ipſam præliari

præliari contra ignem: nec sunt tamen diversæ naturæ vel plures, verum est una natura tantum habens in se naturam & res omnes, quibus sibi sufficit; idcirco uno ordine opus incipitur & finitur. Duplex tamen est modus compositionis, quia una est humida, altera vero sicca; cum autem coquntur, fiunt unum, sic ut neutrum dimittat reliquum, & benè quidem, quia humidum faciliter impressionem recipit & faciliter dimittit, siccum verò graviter impressionem suscipit, & graviter remittit: ideò cum humidum & siccum temperaverunt se ad invicem, adipiscitur siccum ab humido facilem impressionem, & acquirit humidum à sicco, ut firmiter retineat impressionem, & omnem sustineat ignem. Unde propter humidum prohibetur siccum à sua separatione, & propter siccum prohibetur humidum à sua fluxibilitate. Exemplum hujus est opus figuli, qui ligans terram cum aqua coquit ad ignem, ut unum non dimittat alterum, sic facito magisterium, disponens solam terram per humiditatem & caliditatem,

donec

donec conveniant & conjungantur, & non discrepent nec dividantur. Tunc adjunge eis duas virtutes operativas, aquam & ignem, & complebitur magisterium; quia si permiscueris aquam solam, dealbabit, si vero adjunxeris ignem, rubificabit. Nam album completur tribus rotis, in quibus non est ignis, rubeum autem quatuor rotatur rotis: & hoc quidem elixir, quod tingit tinctura sua, submergitur oleo suo, & figitur calce sua: & oleum est conjungens & aggregans inter calcem & aquam: & aqua est deferens tincturam super calcem suam, & quando figitur calx, figetur & aqua cum ea propter vehementiam commixtionis; & tunc corpus est causa retinendi aquam, aqua conservandi oleum ut non accendatur super ignem, & oleum est causa tenendi tincturam, & tinctura est causa faciendi apparere colores, & color est causa demonstrandi albedinem, & albedo est causa retinendi omne volatile à fuga: nam corpus cum dealbatum fuerit, spiritum fugere non permittit, nec nigredinem ulteriùs apparere. Anima autem est vinculum spiritus, sicut corpus

est

est vinculum animæ, nec est hoc vinculum sicut naturæ vinculum, sed velut compositum: quia compositio naturæ est per ingressionem contrariorum, & compositio nostra est per fixationem compositorum. Et qui non liquefacit corpus cum spiritu, ut fiat aqua una impalpabilis, & postea coagulat super ignem lenem, multipliciter errat. Quare denigrã terram separando ejus animam, postea vertet aquam super terram per se, paulatim dealbando & siccando totum & habes magisterium. Nam qui terram denigrat, & album igne dissolvit & coagulat, donec fuerit in colore, sicut gladius denudatus, à tenebris liberabitur: & qui dealbatione completa ei animam inducit, totumq; postquam liquefactum fuerit, in rapido igne figit, felix dici merebitur, & supra mundi circulos exaltari.

CAPVT XVIII.

JAm didicisti, charissime, album opus facere, nunc quoq; oportet ut scias rubeum per ficere: veruntamen nisi deal-

baveris, verum rubeum facere nequibis, quia nemo poteſt devenire de primo ad tertium niſi per ſecundum; Sic non poteris accedere de nigro ad citrinum niſi per album, eò quòd citrinum ex multo albo & pauciſſimo nigro eſt compoſitum. Dealba ergò nigrum, & rubifica album & habes magiſterium. Quoniam ſicut annus dividitur in quatuor tempora, ſic & noſtrum opus benedictum. Primum eſt hyems, humidum & frigidum, pluvioſum: ſecundum eſt frigidum & ſiccum floridum: tertium eſt æſtas calidum & ſiccum, rubicundum: quartum eſt autumnus tempus colligendi fructus. Hac diſpoſitione tingentes rege naturas, donec maturatæ fructum afferant ad libitum. Verùm hyems jam tranſiit, imber abiit, & nox receſſit: nam flores apparuerunt in terra noſtra tempore veris, ſed ſuper roſam albam ſolùm ſtantes quievimus, quoniam ipſa ſortitur effectum corpora quęq; ægra in verum convertendi argentum. Cum igitur videris albedinem illam apparentem, ratus eſto quòd rubor in illa occultus eſt, & tunc non oportet illam albedinem

bedinem extrahere, ſed coquere quouſq; totum fiat rubeum: & quò magis eſt rubeum magis valet, quoniam abundantiùs tingit: ſic quod magis eſt coctum magis eſt rubeum, ergò quod magis eſt coctum magis valet, & ſic per conſequens quod maximè etiam maximè. Et certè color rubedinis cauſatur ſolùm ex complemento digeſtionis: nam ſanguis non generatur in homine niſi diligenter coquatur in hepate. Sic de manè cum videmus urinam noſtram albam, ſcientes nos parùm dormiviſſe, redimus ad lectum: ſomno autem recepto completur digeſtio & urina citrinatur. Sic per ſolam decoctionem poſt albedinem devenies ad rubedinem, errare ſiquidem non poteris, ſi ignem ſiccum continuaveris ſuper ipſum. Nonné vides quòd ſperma non generetur ex ſanguine, niſi priùs coquatur diligenter in hepate, quouſq; intenſum habeat ruborem, & niſi ita fieret, nihil ex illo generatur ſpermate. Similiter & æs noſtrum album niſi diligenter coquatur, non rubificatur. Et certè ſolus calor hepatis rubificat chylum, & ſolus calor ignis

accensus rubificat sulphur album ; nam prima digestio stomachi omnia dealbat, secunda verò hepatis omnia rubificat, quia in solo hepate viget calor, sicut in stomacho viget siccitas. Igne ergò sicco & calcinatione sicca decoque siccum, donec rubeat ut cinabrium, cui de cœtero nequaquam impones aquam, nec aliam rem, quousq; ad complementum decoquatur rubeum. Nam tempore æstatis & fructuum undatio pluviarum corrumpit magisterium. Quare sicco igne absq; timore ipsum comburere oportet, donec rubicundissimo vestiatur colore. Noli ergò ab opere cessare, quamvis rubor aliquantulum differat apparere: nam igne augmentato post albedinem ex primis coloribus habebis rubedinem : medius tamen inter illos colores apparebit citrinus ; sed ille color non est stabilis, quia post illum rubeus non moratur venire, quo veniente certus esto opus tuum esse completum : quoniam tunc mulier conversa est in masculum, & omne incompletum in Solificum verum. Quare dicit philosophus : Si fuerit sulphur mundum,

dum, optimum, cum rubore clarum, & fuerit in eo vis igneitatis ſimplicis non urentis, erit res optima, quam recipere poſſunt Alchymiſtæ, ut ex ea faciant aurum. Ex his manifeſtè liquet, quod iſtud ſolum eſt verum noſtrum ſulphur album & rubeum quod quærimus, quo corpus quodlibet tingimus in veriſſimum aurum & argentum melius quàm quod de minera producitur, ſecundùm quod elixir album vel rubeum fuerit præparatum.

CAPVT XIX.

CUm ergò duxeris unam quamq; ſpeciem ex partibus operis, ſicut oſtendimus ea dirigere, tunc reduc ſpiritus ad illud & ſublima totum, quia ſublimabitur lucidum clarum, impermixtibile elementis. Et illud quidem eſt, ut accipias partem iſtius noti lapidis puriſſimam, & per ingenioſum ſubtilem modum conjungas per minima, & levetur totum. Quod ſi non eveniat, addatur ei non fixæ partis quantitas, ut ſumma volatilis

ſuperet ſummam fixi, quouſq; ad elevationem iſtius ſufficiat. Nam vidimus in eis, quibus uſi ſumus experientiæ modis, quod quæ cum aqua permiſcentur, ſi ſumma volatilis vincit ſummam fixi; quod fixum volabit cum ea; & ſi non vincet, figetur cum ea. Spiritus namq; portabit ad ſuperiora quicquid ſibi conjunctum fuerit. Ergò citiùs portabit quod eſt omninò de natura ejus: Hanc tamen ſublimationem cum calore ſicco oportebit facere. Et cum elevatum fuerit, reiteretur iſtius ſublimatio, vice poſt vicem, quouſq; per hanc ſublimationem & ejus reiterationem figatur totum. Cum autem fixum fuerit, cum eo fixo non fixi parem quantitatem poſt quantitatem combibe per ingenium tibi notum, quouſq; iteratò levetur: totum ergo iterato figatur, quouſq; fuſionem præſtet facilem ad modum ceræ. Et hæc quidem eſt medicina ſtans, tingens, penetrans & perſeverans, cujus una pars convertit mille & ultra partes cujuſcunq; corporis in veriſſimum aurum & argentum, ſecundum quod elixir album vel rubeum fuerit præparatum.

CA-

CAPVT XX.

NON ergò dependet bonitas hujus multiplicationis nisi ex multiplicata reiteratione sublimationis & fixationis hujus medicinæ: quoniam quantò hujus complementi ordo reiteratur pluriès, tantò etiam ipsius exuberantia multiplicatur magis, & augmentatur bonitas perfectionis istius maximè, quousq; omne corpus à perfectione diminutum atq; etiam argentum vivum mutet in infinitum in Lunificum & Solificum verum. Nam quoties sublimaveris medicinam perfectam & solveris, toties lucraberis omni vice ad projiciendum unum super mille: ut si primò cecidit super mille, secundò cadet super decem millia, tertiò super centena millia, quartò super millena millia, & quintò super infinitum. Quantò igitur elixir magis subtiliatur, tantò plus tingit, atq; adeò in quantum elevaveris tuum opus, in tantum plus valebit, quia abundantius operabitur, & majorem quantitatem convertet. Et hoc est quod dicit Geber, qui fuit magister magistrorum in

noſtro magiſterio : Operare tu cum lapide tuo, & cum lapide meo, & plùs valebit meus quàm tuus ; quia ſi projeceris unũ ſuper mille, ego projiciam ſuper 10. millia, & totum erit bonum : ſi autem tu projeceris ſuper decem millia, ego projiciam unum ſuper millena millia ; quare plùs valebit lapis meus, quàm tuus, quoniam in transmutatione multorum millium transcendit lapidem tuum : Hoc autem dixit Geber, ut nos ſeduceret, quia lapis ejus & noſter unus & idem eſt, ſed ſolvebat totum & ſublimabat multoties, ita ut unum de lapide ſuo tranſcenderit decem de noſtro ; & ideò quantò magis ſublimatus fuerit, tanto majorem convertendi vim habuerit, ergò & qui maximè maximam. Non ergò omittas elixir tuum ſubtiliare, & in quantum poteris ſublimare : & certè cauſa ſuæ velocis liquefactionis eſt ſuarum partium ab igne ſubtiliatio finalis : nam quicquid ex Mercurio in natura propria ad fixionem deductum magis ſubtiliatur, magis etiam ſolvitur, & ideò quod maximè etiam maximè. Et hæc eſt cauſa quòd elixir completum ad ceræ modum

dum citissimam dat fusionem, magis quàm aliquod metallorum: ipsum enim non est nisi ex purissima argenti vivi substantia in fixionem deductam, & ex subtilissima materia, mundissima, fixa, quæ ab argento vivo sumpsit originem, & ab illo est creata. Et illud ideò, quia cum fugitivum sit argentum vivum de facili absq; inflammatione, alia medicina eget, quæ subitò ante ejus fugam illi in profundo adhæreat, & ei per minima conjungatur, illudq; inspisset, ac sua fixione à fuga in igne conservet, convertens totum per suum beneficium in momento in Lunificum & Solificum verum, secundùm quod elixir fuerit præparatum. Si ergo facilis non esset fusionis, non fundereturante Mercurij fugam, neq; retineret ipsum: si autem de ejus non esset natura, non adhæreret illi in profundo ejus, neq; gauderet per minima permisceri: nam argentum vivum in se non recipit, nisi quod suæ fuerit naturæ: si fixa non esset medicina, non figeret, & si mundissima & fulgidissima non esset, non converteret Mercurium neq; cœtera corpora in au-

rum & argentum, quia nihil dat quod non habet, cum non inveniatur in re, quod in ea non fuerit antea. Quare liquet medicinam noſtram neceſſariò debere eſſe ſubſtantiæ ſubtiliſſimæ & puriſſimæ, adhærentis argento vivo ex natura ſua, & facilimæ & tenuiſſimæ liquefactionis, & fixam ſuper ignis pugnam: quia hæc Medicina ipſum Mercurium coagulabit, & in naturam Solarem & Lunarem cenvertet. Jam ergo noſtram complevimus medicinam in caliditate & frigiditate, in humiditate & ſiccitate æqualiter temperatam: unde quicquid illi apponitur, erit ejuſdem complexionis cum eo cui apponitur, ut ſi aquam illi appoſueris, totum ſolvetur in aquam, ſi vero ignem totus erit ignis, & hæc eſt cauſa quare multiplicari poteſt medicina in infinitum: ipſa enim eſt ſicut ignis in ligno, & ſicut muſcus in aromatibus bonis, eo magis creſcens, quo magis fuerit conculcata. Quare oportet te partem ejus relinquere omni tempore, quoniam ditatus & ab illa, ſicut qui habet ignem ditatus eſt ab ipſo.

Multiplicatur autem Medicina ſive per

ſolutio.

ſolutionem, ſive per fermentationem: ſed per ſolutionem tardiùs, per fermentationem vero citiùs noſtra augmentatur Medicina, eo quod ſoluta non benè augmentatur, niſi primùm in ſuo figatur fermento. Abundantiùs tamen operatur multò medicina ſoluta & fermentata, quàm ſolùm fermentata, quoniam magis eſt ſubtiliata, licet per ſolam fermentationem poſſit etiam multiplicari in infinitum. Et illud ideo, quia fermentum reducit ſibi appoſitum ad ſui naturam, colorem & ſaporem per omnem modum: nam confectionem dealbat, combuſtionem inhibet, tincturam continet ne fugiat, corpora vivificat, & ſe invicem ingredi facit & conjungi, quod finis eſt operum & ſine illo elixir non peragitur, quemadmodum paſta ſine fermento non fermentatur. Idcirco cum Elixir ſublimando fixaveris, reducas ſuper ipſum appropriatum ſpiritum, ſic ut commiſceatur & liquefiat per ſecretum naturarum in vaſe philoſophico: nam cum ſteterint per moram temporis vincet fortius illorum convertens totum in ſpiritum ſibi ſimilem, & ipſe cum potens ſit

ſuper

ſuper vinculo non ſtat : conjunge ergo ipſum, ut generet ſibi ſimile, nec conjungas cum quovis alio, ut convertat ad ſe, niſi cum eo, cum quo fuit in principio : ſi feceris hoc fiet Elixir etiam illud quod conjunctum fuit : & illud ideò, quia ſulphura ſulphuribus continentur, & humiditas ſimili humiditate : nam ſpiritus convertens ſulphur in ſpiritum ſibi ſimilem, factus eſt uterq; fugiens, & ſpiritus aërei in aëra ſimul ſcandentes ſeſe diligunt. Videntes igitur philoſophi, quod illud non fugiebat cum fugientibus, fugiens factum iteraverunt ad ſimile corpus non fugiens, & intulerunt in idipſum, à quo fugere minimè poterat, propter propinquam naturæ ſuæ convenientiam. Anima certè ſuum corpus citiùs ingreditur, quàm ſi in aliud mitteretur : quòd ſi immittere ſtudueris, in vanum laborabis ; quoniam non eſt communicatio tenebrarum & lucis : ad corpus ergò ſimile corporibus ex quibus extracta ſunt ipſa revertuntur, quia tingens & tingendum una tinctura facta ſunt. Non putes ergò, quòd hoc quod tingit & fugit veram eſſe tincturam philoſophorum,

rum, quia ſulphura tingunt & non fugiunt, niſi ſimili argento vivo juncta ſint ſui generis; ideò oportet ipſum admiſceri argento vivo albo vel rubeo ſui generis & contineri ne fugiat. Quare jubemus argentum vivum commiſceri argento vivo, quouſq; una munda aqua fiant, ex duobus argentis vivis compoſita. Veruntamen in eorundem commixtione pones parum de opere ſuper multum de corpore, ita ut habeat potentiam illud convertendi in Medicinam, aliâs totum verteturin ſpiritum ſibi ſimilem. Si verò projeceris parùm operis ſuper multum corporis, puta unum iſtius ſuper quatuor alterius, ſine aliqua mora pulveris tui color erit albus vel rubeus, ſecundùm quod fuerit fermentum ſuper quod projeceris. Et quidem pulvis eſt elixir completum naturæ horum, de quibus elixir habet fieri. Et elixir debet eſſe pulvis ſimplex, & habet fieri de melioribus rebus hujus mundi: & corpus & fermentum, quod ibi miſces, debet eſſe pulvis ſubtilis ſolutus, quia non facies omninò eorum mixtiones, donec unumquodq; ſolvatur ſeparatim in aquam; eo quod qui

deſic-

desiccat priusquam imbibat, non conjungit per minima, nec omnino subtiliat: laevius quippe est separare vinum à terra quàm ab aqua. Sed quando aqua miscetur aquæ, tunc aqua recipit aquam sicut nunquam separentur ab invicem. Ideo si fueris hydropicus, bibe multum de dicto potu & sanaberis: quoniam unaquæq; tinctura plus in millena parte tingit in liquida quam in sicca substantia, ut patet de croco, cum ponitur in liquoribus; si enim in siccis projiceretur parùm tingeret, sed si solutus jungatur cum pauco, & paucum cum magno tingit in infinitum.

CAPVT XXI.

SIC ergo facies projectionem: primò multiplica decem in decem & erunt centum, & centum in centum & erunt mille, & mille in mille & erunt decem millia, & decem millia in decem millia & erunt centum millia, & centum millia in centum millia & erunt mille millia, & mille millia in mille millia, & erit numerus innumerabilis: hoc est dicere: primò pone unũ super decem, & unum istorum

rum ſuper centum, & erunt decem millia, & de cæteris ſimiliter. Iterum ſecundùm alium philoſophum: pone partem unam ſuper decem metalli præparati, & hujus unam partem ſuper centum, & convertetur converſione fixa átq; durabili, ſi Deus voluerit. Si autem una vice & prima pones unam partem ſuper mille partes, timendum eſſet, ne præ nimio calore conſumeretur & exhalaret antequam penetraſſet & confectum eſſet: cum autem ponis unam ſuper decem, citò penetrat & miſcetur, unde non eſt neceſſe fortificare ignem neq; continuare, ſed citò debet deponi: cum autem infrigidatum eſt, jam illud ſe tenet cum illo, & adhæret ei propter convenientiam naturæ: quare ſi dehinc partem unam ſuper centum projicias, retinetur ſubſtantia lapidis ab eo cui mixtum eſt, adhærens ei donec totum tranſmutaverit. Cum oleis ergò miſce argentum vivum præparatum, non quòd ſit materia omnium metallorum, ſicut quidam affirmant, & multi putant, ſed quòd per frigiditatem teneat medicinam ſuper ignem donec miſceatur ne exhalet, cuſtodi

stodi ergò illud & eris fortunatus in terra. Causa autem eorum omnium est triplex, bonitas, necessitas & perfectio : bonitas ut abundantiùs tingat, ut meliùs perficiat, ut plura convertat : necessitas ut meliùs coloretur, ut sibi simile generetur, ut meliùs figatur : perfectio quia Medicina perfecta habet convertere metallum imperfectum in perfectissimum aurum & argentum. Numerus autem perfectionis est denarius, centenarius & millenarius : ideò de primo ad ultimum facies projectionem ; nam si ita parvus simpliciter dimicaret contra ita magnum, superaretur ab eo propter sui paucitatem. Verùm omnia medicinæ fundamenta sunt multum subtilianda & tingenda, quia quanto plùs subtiliatur Elixir, & tingitur, tanto abundantiùs operatur, ergo & quod maximè, maximè. Ideò ad solutionem pone solutionem, & soluto immitte deficcationem & pone totum ad ignem, custodi fumum præcavens ne fugiat aliquid ex illo. Regimen autem totum est in temperie ignis, itaq; morare propè vas, & intuere mira, quomodo movebitur de colore in colorem

rem in minùs quàm in hora diei, quousq; perveniat ad metam albedinis & rubedinis, quoniam citissimè liquefiet in igne & congelabitur in aëre: quia fumus cum senserit ignem, penetrabit in corpus, & spiritus constringetur in siccum, eritq; corpus unum, fixum, clarum, album vel rubeum, secundum quod fuerit medicina & fermentum. Tunc depone ab igne, dimittens totum refrigerari; quia cadet unum ipsius pondus super mille millia, & amplius cujusvis corporis, convertens totum in optimum aurum & argentum, secundum quod Elixir fuerit præparatum. Veruntamen Medicina alba album exigit fermentum, sicut rubea rubeum: quia in opere rubeo nihil intrabit nisi rubeum, sicut in albo nihil nisi album. Ideò quod facis in albo, fac & in rubeo, quia una & eadem est præparatio amborum, sed complificans tincturarum & spirituum est ipsorum fermentum: quare liquet quòd qui argentum vivum album, ignem patiens, argento mero id est puro non conjungit, nullam elegit viam ad albedinem: qui verò argentum vivum rubeum, ignem susti-

nens, non conjungit auro mero id est puro, nullam viam elegit ad rubedinem. Non ergò fatiget corpus suum in his, ad quæ non poterit pervenire, quia nec sibi nec alteri, nec mundo proderit, donec motor in sublimi naturæ mobili quieverit in incorruptum quasi non corruptum.

CAPVT XXII.

VEruntamen quia nimius sermo intellectum obruit & errores augmentat; ideò sub brevitate sermonis totum hujus operis complementum narrabimus: & est ut sumatur lapis sufficienter notus, & cum operis instantia assiduetur super ipsum perfectio sublimationis, ut primò mundetur & subtilietur lapis, donec ad ultimam subtilitatis puritatem deveniat, & tandem volatilis fiat: & hic quidem est primus ejus administrationis gradus. Abhinc verò cum fixionis modis figatur, donec in igne asperitatis quiescat. Sit autem opus Lunæ nimis album, opus verò Solis rubeum, quia album est opus hyemis, & rubeum æstatis: ideò majori partium sublimatione indiget per modos proprios

proprios in majori decoctione digestos, donec rubicundissimum assumat colorem: & in hoc uno meta perfectionis secundi gradus consistit. Sed in tertio gradu est totius operis complementum; & est ut jam fixum lapidem cum modis sublimationis volatilem facias cum non fixo; & volatilem fixum; & fixum iteratò solutum & volatilem, & iteratò volatilem fixum, quousq; fluat & liquefiat & alteret in complemento Solifico & Lunifico certo. Ex reiteratione igitur præparationis hujus tertij gradus medicinæ resultat bonitas & alterationis multiplicatio, ut unumquodq; imperfectorum corporum convertat in infinitum in Solem & Lunam veram.

Præterea etiã virtutem habet efficacem omnem sanandi infirmitatẽ super omnes alias medicinas: nam lætificat animum, virtutẽ augmentat, conservat juventutem & renovat senectutem, quoniam non permittit sanguinem putrefieri, neque phlegma dominari, neq; choleram aduri, nec melancholiam superexaltari: imò sanguinem supra modum multiplicat, contenta

in ſpiritualibus purgat, & omnia corporis membra conſervat, & generaliter tam calidas quàm frigidas infirmitates citiſſimè curat præ omnibus Medicinis. Quoniam ſi ægritudo fuerit unius menſis, eam uno die ſanat; & ſi unius anni ſanat diebus duodecim: ſi verò antiquior & multi temporis, ſanabit uno menſe, & omnes malos humores expellet, bonosq; inducet: confert & amorem illorum quibus offertur, deferentibus ſecuritatem, audaciam & victoriam. In hoc completur ſecretum ſecretorum naturæ maximum, quod eſt ſuper omne hujus mundi pretioſum pretioſiſſimum.

Viſio

Visio ejusdem Johannis Dausteni Angli.

CUM omnium rerum naturâ consistentium certus sit effectus generationis & augmenti, ex radice earundem sumimus necessariam Planetarum insinuationem: unde, ortum Solis & Lunæ magno desiderio quærentes, talem vidimus visionem. Putavimus nos raptos ante conspectum Naturæ; & ecce septem Planetæ venientes, volente ipsa natura, fratrem suum primogenitum prefecerunt sibi in regem, ac diademate regni insignitum, quasi dominum suum adorantes, suos eidem pandebant defectus: Erant enim omnes ferè vel lepra vel scabie infecti. Rex autem, confratres consolari cupiens, ait: Expedit certè, ut unus ex nobis sine macula existens moriatur pro universis, & non tota

progenies pereat, ut recenti ipsius sangui-
ne liniti consequamini sanitatem: nam, ut
dicit Plato, secundum meritum materiæ
dantur formæ. Planetæ autem cæteri su-
um regem audientes dicebant, & quis no-
strûm caret macula? nam ex semine im-
mundo concepti sumus, & fragilitati sub-
jectos peperit nos mater nostra: quis igi-
tur potest facere mundum de immundo
semine conceptum? non enim invenitur
in re quod in ea non est. Quibus materil-
lorum Mercurius respondit: filij, sex cor-
pora genui, quorum unum est fulgidum,
immaculatum, rex & caput & optimum
Planetarum, nec quid superfluum in eo
est, nec minus in eo, quia ejus complexio
est temperata & natura directa in calidita-
te & frigiditate, humiditate & siccitate:
ideoq; res comburentes illud non com-
burunt, nec corrumpentes corrumpunt,
nec terra nec aqua alterant ipsum un-
quam. Cum ipso ergò spiritus commi-
scentur, & figuntur per ipsum maximo in-
genio, quod ad duræ cervicis artificem
non pertinet: ipso ergò perficeremur be-
nè omnes, sed quia perfectis moribus est,
mori

mori nequibit. Flebant ergò omnes fletu magno, dicentes: proh dolor quare nos immundos & ipſum ita perfectum genuiſti mater! heu nobis, cur nos conſtituiſti fratres amaritudinis & doloris? quare non in utero ſuffocati ſumus, aut antequam naſceremur periimus? cur excepti genibus, lactati uberibus nati ſumus in combuſtionem & in cibum ignis? Quibus Natura reſpondit: Omnia in ſapientia & menſura creata ſunt: qui dedit conſilium, ferat auxilium: nam bonus princeps animam ſuam ponit pro ſubditis ſuis. Oportet ergò te, ô rex, denuò naſci, quando aliâs mori non poteris, nec tuos perficere & curare fratres: quia qui quartum convertit in ſextum, poterit tunc ipſum convertere in ſeptimum & in quartum. Rex autem ſubridens inquit: quomodo poteſt corpus ſenile naſci denuò, num quid poteſt matris ſuæ uterum ingredi & renaſci? Cui Natura reſpondit: Tu es caput familiæ tuæ & hæc ignoras? Nonne ſcis, quòd nihil demergitur in Mercurio niſi Sol? te igitur matri & ſuo pectori juncto nihil melius: quia ſic fugam ſuam quieſcere & tua

contineri ſubſtantia facies: non enim poſſunt gravia niſi levium additione ſurſum elevari, nec levia niſi gravium conſortio inferius detrudi: nihil ergò creatum eſt ſine cauſa. Qui ergò animam ſuam amat, eam perdet, nam unde videbatur perdiſſe quod erat, inde incipit apparere quod non erat: quoniam quæ devaſtant, emendant, & unde corruptio procedit, inde emendatio apparet. Rex ergò gemens ait: Domina, transferatur quæſo à me onus iſtud, veruntamen ſi transferri non poteſt, niſi portem illud parebo ſententiæ tuæ: quia non eſt dignus imperio, qui negligit certare pro ipſo. Lunam igitur plenam aſſumam in matrem, ut fiam albus nigri, rubeus albi, citrinus rubei filius veridicus non mentiens. Fratribus ergò gaudentibus de nuptiis promiſſis ſui regis, pararunt illi cubiculum grande, ſtratum rotundum, lucidum, rore circumdatum, benè clauſum, quod & novem virginibus pulchrarum facierum ad tanti regis ſervitium decenter munientes præſtolabantur cum timore liberationem ſuam. Igitur dum medium ſilentium tenerent omnia, lux lucens

cens valdè rutilans, à regalibus ſedibus veniens, novem virginibus dixit: oportet me per ignem & aquam tranſire, ſolùm ſerpentis venenum timeo, ne violentia nimia in ætate tenera perimat me: cuſtodia ergò mei eſtote, quouſq; ad ætatem devenero perfectam, & vos tunc in regnum meum transferens, de cætero erimus immortales. Virginibus ergò cuſtodiam optimam pollicentibus, Rex ſuum thalamum ingreditur ſecurus, & magno libidinis ardore ex improviſo ſuccenſus dormivit ſtatim, & dormitavit cum virgine decora nimis, filia matris ſuæ. Et quia indigeſtus nimiùm incaluit, omninò diſcraſiatus virtute defecit. At mulier illa Sole amicta & ſub pedibus ejus Luna, ſubitò abſorpſit ſuum ſponſum, ut de illo nihil reliquum videre poſſem: nam fumoſa ex libidine effecta, totam ſuis baſiis animam regis exhauſit: unde & virgines regem mortuum penitùs exiſtimantes, deſperatæ de vita ipſius, ſimiliter dormiverunt. Quod ſentiens ſerpens callidus antiquas inimicitias erga mulierem reco-

gitans, ſub dicto ingreditur thalamo, venenum paulatim & paulatim effundens, ne fortè è ſomno dormientes excitaret; & toxicum hoc, parum & parum aſcendens, corpus regis dormientis ſenſim comminuit. Mulier verò de tanto ſanguinis calore nimiùm calefacta, cum ſuis virginibus effugiens, cameram aſcendit altiorem; iterum atq; iterum ſepties in lavacro purgatorii peccatum ſuum diluentes, ut vel de regis corpore, ſi ſolam animam ſecum conſervarent, ne fortè pro ejus morte, ſi quid corporis ipſius ſecum haberent, ſuſpendij damnarentur. Uxor autem cum regem diligeret, & in ſe animam ejus exhauſtam poſſideret, cogitavit quomodo mortuum ſuſcitaret. Et cum ex ſcientia naturali diligenter cognoviſſet, quod abſq; alterationibus multis nihil reviviſceret, primo ne corpus mortuum inficeret aërem, combuſſit in cinerem, & regiis exequiis magnificè celebratis, ſe cum combuſto cinere gratanter ſepelivit. Sed æmulatio antiqua ſerpentis charitati invidens, parum & parum

toxi-

toxicum evomebat, nusquam ab inceptis desistens festinare opus mulieris destruere laborabat. Hoc fiebat prima luce octobr. Mulier autem more materno virum suum diligenter in intimis suis visceribus recolligit, ne ampliùs læderetur volens venenum repellere: & quantò magis toxico serpentis fœtus infestatur, tantò magis maternis admissus viseribus occultatur, ne nimio calore abortum patiatur. Luna namque humiditate propria plena fœtum obumbravit & ignis flammam eminùs expulit. Verum ex labore conflicta fœmina & onere fatigata, efficitur turpissima, facie denigrata, & toto corpore prostrata super terrã, nec oculos erigere nec manus extendere poterat præ languore. Nam artis principium est caput corvi nigrum, parum & parum exiccans se ad ignem, ut album post fuscum induat indumentum. Interim mulieris adfuit tempus pariendi, peperitq; filium suum primogenitum: & ne inficeretur à serpente præcavens in futurum, assumptis alis superiorem ascendit cameram quærens exitum.

nec

nec inveniens, rediit ad nidulum unde exierat, nec inveniens requiem, quam quærebat, iterum atq; iterum expansis alis superiùs evolabat; sed obserato exitu cogitur retroire. Et dum in hunc modum certabat evolare, filius noster genitus tres virgines devorabat, ita ut illarum alis deplumatis fuga penitùs privarentur. Quod cautiùs videntes sex cœteræ virgines valdè timuerunt cursu moderato aërem petentes: verùm ipse desiccans se ad Solem de nigro ad album versus est colorem. Facta autem sunt hæc pridie Cal. Martii. Serpens igitur cum ista didicisset, nimio furore repletus, regem incineravit fortiori calore: at ille magis & magis aquam hauriens, unam post aliam ex sex virginibus singulas devoravit, semper cum ipsis, ut priùs fecerat cum aliis, coagulans se ad ignem, ita ut intra spatium aliorum 40. dierum totus versus sit in terram, & tum post alias 40. dies in æquali calore jugiter consistens, ultimò albissimum induit vestimentum. Multoties autem mutavit suos vultus, quandoq; nigram & fuscam, quandoq;

doq; rubeam & croceam, quandoq; citrinam & albam emittens effigiem ; ita ut cum Horatio dicerem: Quo teneam nodo mutantem Prothea vultus. Cum igitur in mera perſtaret albedine, conjugio ſororis ſuæ Lunæ ſcivimus ipſum indigere: Cum illa igitur ipſum maritantes ſuper alia corpora projectionem fecimus, & ecce una pars ſui mille millia partes aliorum Planetarum in veriſſimum vertebat argentum. Igitur cum ſerpens videret ſe conteri, tactus dolore cordis intrinſecus, totoſuo poſſe regem albis indutum veſtimentis perdere inſudabat, ut quod priùs neglexerat, vel ſerò ſaltem provideret. At rex oſſibus confortatis fortiter reſiſtens magis ac magis ſerpentem conculcavit, & tandem poſt tempora ipſo interfecto nullius prorſus venenum de cœtero metuebat. Verùm ex ira, motu & duello nimiùm calefactus de albo in ſanguineum verſus eſt colorem, & ſic imperium reaſſumens de omnibus triumphavit, nulliuſq; culpam reliquit impunitam. Cum ergò purpura ſeſe veſtiiſſet regali, Solem cum

Sole

Sole copulantes ſuper corpora alia projecimus: & ecce una pars ſui mille millia aliorum in veriſſimum mutavit aurum. Expergefacti igitur viſionem conſcribentes, gaudio magno gaviſi fuimus, ita ut paupertate exulata de cætero domos proprias inhabitare recuſemus. Unde Domino noſtro Jeſu Chriſto gratias referentes, arborem conſcendimus, poma colligimus, maria timemus.

FINIS.